# DISQUISITIO THEOLOGICA

IN QUA

Diſcutitur illa famoſa Quæſtio.

*Quinam Dei Amor requiratur & ſufficiat cum Sacramento ad juſtificationem.*


AUTHORE

F^r. MACARIO HAVERMANS,

Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ordinis Præmonſtratenſis Canonico, ibidemque S. Theologiæ Profeſſore.


*Qui non diligit manet in morte.* 1. Joan. 3. v. 14.





LOVANII,

Typis Viduæ Adriani de Witte, ſub ſigno Pavonis, 1675.

*Cum Privilegio & Approbatione.*

Reverendo Admodum ac Eruditissimo

DOMINO

# D. MILONI VANDER STOCK.

Ecclesiæ S. Michaëlis Ordinis Præmonstratensis Canonico, S. T. L. Pastori & Personæ in Nederockerseel, &c.



RUDITISS. DOMINE,

*Desideravi diu habere occasionem manifestandi interiorem meum erga*

*Eruditiss. Reverentiam vestram affectum ob multa mihi præstita beneficia, quæ continuo instant & urgent, si non pro retributione, saltem pro gratiarum actione. Retribuere pauper Religiosus non possum, esse gratum nulli etiam pauperrimo denegatur: inter beneficia vero percepta non minimum reputo quod mihi, adhuc Theologiæ Candidato, existenti in celeberrimo Europæ Athenæo Lovaniensi Academia S. Augustino specialiter devotâ, tum verbo instillaveris affectum erga S. Augustinum inter SS. Patres Coripheum, inter Theologos Aquilam, & ut verbo dicam naturæ miraculum, tum exemplo, adductisque ex horto Augustiniano selectis floribus omni odore gratioribus, id est quibusdam ex magno Patre adductis locis charitatem &*

*doctri-*

*doctrinam mire spirantibus, fortiter instigaveris, ut sedulò & continuò tanto Patri vacarem, in quo solo curiosa mens & salutis suæ sollicita anima invenire potest quidquid ad veram Theologiam & solidam pietatem conducere valet; sic ut non mirer jam quotidianas vestras in Augustino lucubrationes, quæ nescio quem saporem palato sano adducunt, mirè recreant animum non nisi æternam sapientiam desiderantem, & valde accendunt mentem, licet non nisi terrena sapientem, cum non spirent nisi flammantem in Deum charitatem, hominemque totaliter à creaturis ad Deum adducant, ut meritò* charitatis Doctor *S. Aug. appelletur; & sicuti olim tempore SS. Norberti & Bernardi commune erat elogium trium eminentium in Sanctitate virorum;*

*rorum* ; in Norberto eminet fides, in Bernardo Clarevallensi charitas, in Milone Taruanensi (*Ordinis Præmonstratensis Episcopo*) humilitas, *ita & de S. Augustino dici potuit*: in Augustino eminet charitas, *quâ non solum cor ejus jugiter incendebatur, sed & de facto omnes ejus lectores accendit. Sic ut non mirum sit omnes S. Augustini discipulos ita extollere charitatis dignitatem, ita depredicare ejus necessitatem ita exaggerare ejus efficaciam, legerunt in suo magno magistro*: Quale bonum est charitas? Quid pretiosius? Quid luminosius? Quid firmius? Quid utilius? Quid securius? Universa inutiliter habet, qui unum illud quo universis utatur non habet.

Serm. 50. de verbis Domini.

bet. Hæc eſt margarita ſpecioſa charitas: ſine qua nihil tibi prodeſt quodcumque habueris, quam ſi ſolam habeas, ſufficiat tibi. *Sciunt & illud famoſum S. Auguſtini dictum.* Dilige & quod vis fac. *Quanti autem cum tuo Auguſtino ſemper æſtimaveris charitatem nobis conſtat, & ſufficienter indicaſti, quando in veſtris, pro Laurea Licentiatus in Almâ Univerſitate Lovanienſi Matre noſtrâ, diſputationibus ſequentia, jam à multis Annis, nempe Anno* 1649. *propugnaſti*: Non malè dicitur quod omnis virtus ſit Charitas. Præceptum de referendo omnia in Deum eſt naturale, ita homini in omnibus ſuis operibus incumbens; ut omnia illa abſolutè mala dicenda Expoſit. 5. in Ep. Ioan.

ſint in quibus relatio illa deficit. Modus ergo Charitatis cadit ſub præcepto, & veriſsimum dicimus S. Auguſtini pronuntiatum, legem non implet niſi Charitas. *Et ſimilia, quæ ſunt Auguſtinianæ doctrinæ principia & ſolidæ pietatis fundamenta. A quibus non niſi illi aberrant; qui neſcio quos S. Auguſtino præferunt, hinc contrarias ejus doctrinæ haſce maximas defendunt*; Attritio ex ſolo Gehennæ metu ſufficit ad Juſtificationem cum Sacramento; poteſt dari opus undequaque bonum ſine Dei propter ſe Amore, imo & meritorium vitæ æternæ. Non tenemur actu interno amicitiæ alterum diligere, *& ſimilia nec mirum quod à veritate aberrent qui in aliquo Charita-*

*tis*

*tis viam non intrant & à Charitatis Magistro declinant, nam teste Prospero:* Charitas via est quæ ducit per se ambulantes ad Patriam, quia sicut sine viâ pervenit nullus quo tendit: Ita sine Charitate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare. *Quid mirum ergo est quod errent qui Charitatem ad opera nostra vix aut non necessariam judicant; attamen deplorandum quod in errorem multos secum abducant; eò plus errantes quò longius ab Augustini doctrina recedunt. Ecclesia magno nostro mœrore, tales multos alit degeneres S. Patris Augustini filios, si illo nomine digni sint, & inter illos aliquos qui simul sunt Professores & Pastores, tantò pernitiosius, quò non solum suorum erro-*

lib. 3. de Vita Contemp. cap. 13.

*errorum venena pluribus ovibus ſibi commiſſis, quarum animas ex eorum manibus exiget Deus, ſed & ſuis ſtudioſis inſtillant, qui cum tempore animarum curam ſuſcipere debebunt. Felices Paſtores qui ſuos paſcunt verbo & opere, & per viam Charitatis* quæ ducit per ſe ambulantes ad Patriam, *ſuas oves deducunt. O quam ſecure Chriſto Domino rationem de ovibus ſuis reddent, qui per ſecuriores ſemitas eas ſecum adduxerunt; & quam multi qui per ſolas probabilitates proceſſerunt, ordinarie ne quidem probabiliter ſecuri, tremebundi deſiderarent in illo Iudicii die, in quo non ſecundum humanarum opinionum vanitatem, ſed ſecundum æternæ legis veritatem judicabuntur, quod tutiori viâ proceſſiſſent. Dies illa revelabit quis bene proceſſerit, an*

*qui laxis, an qui strictioribus se conformavit opinionibus. Charitas certè Augustiniana magis certam vult suos facere vocationem suam, quam ut arundineo illi probabilitatis innitantur baculo. Felices oves quibus tales præsunt Pastores, quantum enim à vitâ & directione Pastorum dependeat salus ovium multimodis comprobatur experientiis, si enim cæcus cæco ducatum præstet, quid expectari potest, quam ut ambo in foveam cadant? Felices possum dicere oves quas dirigunt Pastores qui sunt educati in Augustinianâ scholâ, qui dirigunt se suasque oves sibi subjectas secundum maximas à Sancto Patre suppeditatas; & in hoc congaudeo & congratulor Præmonstratensibus Canonicis qui talem nacti sunt occasionem; & speciali indubiè Providentiâ Divinâ*

*factum*

*factum est, ut ille Ordo, qui specialiter à Sancto Patre nostro Norberto institutus est, & ad hoc à Sede Apostolica confirmatus, variisque condecoratus privilegiis ut sui religiosi curæ animarum intenderent; etiam in bonâ doctrinâ floreret, ut sic in Monanasteriis in pietate & sapientiâ strenuè exercitati Apostolico S. Patris sui spiritu pleni, vineam Domini quaqua versum strenuè excolerent, & copiosos animarum manipulos ex toto mundo in horreum Ecclesiæ deportarent, sicque Oves sibi à Christo commissas in die Iudicii restituerent, recepturi operis ac laboris sui justam mercedem, quam & Reverentiæ vestræ tamquam bono & vero Pastori, non ovium tonsori, sperat & exoptat.*

F. MACARIUS HAVERMANS,
Cum Scholâ Augustinianâ
S. Michaëlis.

*Facultas Superiorum.*

DISQUISITIO THEOLOGICA ſuper actu Amoris Dei, requiſito ad juſtificationem cum Sacramento, facta per *R. D. Macarium Havermans*, Eccleſiæ S. Michaëlis Ordinis Præmonſtratenſis Canonicum & S. T. Profeſſorem, typis evulgari poterit 24. Martii 1675.

LIBERTUS *Abbas Parchenſis & Vicarius Generalis.*

# Approbatio Doctorum.

L*Ibellus. quem* R. D. Macarius Havermans *composuit de Divina ad Pœnitentiæ Sacramentum necessaria Charitate, est sanæ Doctrinæ, nec aliquid continet, quod pias Ecclesiæ aures possit offendere. Dabam Lovanii, die* 18. *Aprilis* 1675.

F. CHRISTIANUS LUPUS, Sacræ Theolog. Doctor ac Professor

Idem Censeo.
G. HUYGENS, Sacræ Theol. Doctor.

*CENSURA ORDINARII.*

DIsquisitio hæc Theologica de Amore Dei requisito & sufficiente ad justificationem cum Sacramento; Authore R. D. Macario Havermans, Ecclesiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ordinis Præmonstratensis Canonico & S. Theol. Professore, publicam lucem meretur. Dat. Lovanii 16. Martii 1675.

*LAMB. VINCENT S.T.D. & Prof. Libror. Censor.*

Idem Judico.
Actum Bruxellis 4. Aprilis 1675.

J. Roucourt *Lib. Censor.*

APPROBATIO.

DIsquisitio Theologica in qua discutitur, &c. Authore Rdo. Admodum D. Macario Havermans Imprimi poterit. Datum Lovanii 20. May 1675.

NIC. DU BOIS *Lib. Cens.*

## SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei Gratiâ, Rex Castellæ, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Arthesiæ, &c. Diplomate suo sanxit ne quis Librum, cujus Titulus est DISQUISITIO THEOLOGICA, Authore admodum Reverendo Domino MACARIO HAVERMANS; præter Viduæ *Adriani de VVitte* Typographi ac Bibliopôlæ in Universitate Lovaniensi voluntatem, ullo modo in Belgio imprimat, aut alibi impressum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, ut latiùs patet in litteris datis Bruxellis, die 22. May 1675.

*Signat*

LOYENS.

DISQUI-



# DISQUISITIO THEOLOGICA.

## §. I.

### *Scopus & intentio Authoris.*

DIuturnâ experientia comprobatum est semper in Ecclesiâ, etiam inter Catholicos Doctores, particulares quasdam de variis particularibus quæstionibus motas esse controversias, & simul atque una sopita est, alteram suscitari. Quæ controversiæ licet quandoque per accidens, ob quorundam petulantium ingeniorum mordacitatem, & tumultum, scandalum aliquod generent; serviunt tamen, tum ut ingenia exercitentur, tum maximè ut penitùs & funditùs quæstio illa tractetur, cum tunc sedulâ indagatione patescat, quid verbum Dei Scriptum & Traditum, quid Concilia, quid Patres, quid Primitivæ Ecclesiæ

clesię Praxis ac Veneranda Antiquitas sentiant circa illam difficultatem, & sic fit, ut veritas magis roboretur & elucescat.

Jam acriter ab aliquot annis disputatum est de necessario & requisito dolore de peccatis cum Sacramento ad justificationem, ex quo nempè motivo procedere debeat; variis post Tridentinum Concilium opinantibus dolorem ex solo gehennæ metu, sine ullo Dei propter se admixto Amore, ad justificationem sufficere, hancque doctrinam à Concilio Tridentino fuisse traditam: aliis econtra fortiter & constanter propugnantibus omninò necessariò dolorem de peccatis ex Amore Dei, propter se, debere procedere ad hoc, ut cum Sacramento justificet: & hanc mentem Patrum Concil. Trident. esse asserunt. Et, quamvis adhuc sub judice lis sit, tamen hoc diuturno illo conflictu effectum est ut satis jam ex S. Scripturâ, Conciliis ac SS. Patribus colligatur; verum Dei propter se Amorem ad Attritionem sufficientem & necessariam cum Sacramento requiri; pro-ut latè ostenderunt Eximii Patres, Lupus & Fervaquez, S. Theologiæ Doctores Lovanienses in variis Tractatibus de illâ materiâ conscriptis, & post illos R. D. Hieronymus Harts in tractatu de Attritione, & nos breviter in Tyrocinio

nio Theologiæ Moralis, parte 1, tract. 1. cap. 6. §. 6. Quam ſententiam ſpecialiter eſſe de mente Mellifiui Eccleſiæ Doctoris S. Bernardi noviſſimè clarè oſtendit Reverend. ac Erudıtiſſimus D. Albericus vanden Kerckhove, Abbatiæ S. Salvatoris, Antverpiæ Ordinis Ciſtercienſis Prior, ac S. Theologiæ Profeſſor, in Diſquiſitione Theologo-Bernardinâ de Attritionis Dei propter ſe Dilectricis cum Sacramento Pœnitentiæ neceſſitate. Quibus Authoritatibus & rationibus ſi vel hoc ſolum probaretur, quod noſtra ſententia verè ſit probabilis, ſufficeret ad contrariam ſententiam è praxi eliminandam; maximè cum in materiâ Sacramentorum, quandò agitur de aliquo eſſentialiter ad Sacramentum requiſito, omninò tutior pars ſit ſequenda: cùm nulla probabilitas poſſit ſupplere partis eſſentialis defectum, & communis Theologorum doceat ſententia, extra neceſſitatis caſum eſſe mortale peccatum, uti materiâ aut formâ dubiâ, dum certa haberi poteſt; uti alibi probabimus.

Verum uſque hactenus non ita diſcuſſum eſt, qualis præcisè Amor requiratur & ſufficiat cum dolore de peccatis ad juſtificationem cum Sacramento. Cumque adverſaria Pars continuò inſtet & urgeat ad ejus quæſtionis deciſionem; mens mea eſt

breviter Vestræ Eruditissimæ Dominationi declarare, quid mihi in hâc difficultate videatur.

## §. II.

*Ostenditur quomodo eadem difficultas urgeat adversarios, quæ nostræ sententiæ defensores.*

ANtequam determinemus qualis Amor requiratur, prænotandum est quod, licet daremus nos non posse determinare, qualis prçcisè Amor requiratur, inde non sequatur nullum Dei propter se Amorem requiri ad justificationem cum Sacramento. Primum enim satis nobis Scriptura, Concilia & Patres (ex quibus Theologicæ veritates deducendæ sunt) insinuant: at non ita secundum. Nec mirum, cum plurima in Theologiâ nos lateant, quæ soli Deo certò cognita sunt. Et fortè id speciali Dei Providentiâ factum est, ut, sicuti nobis incertum esse voluit an odio, an amore digni simus, ut continuò indesinenter studeamus nos magis magisque Amore Dei dignos reddere; ne ubi tanta est infirmitas, superbiam & socordiam generaret securitas. Et de propitiatione peccati noluit nos esse sine metu, ut sub incertitudine Reconciliationis conaremur

nos

nos Deo continuò perfectius reconciliare; ita etiam occultum & incertum nobis esse voluerit qualis precisè Amor requiratur ad justificationem cum Sacramento, ut sic pænitens sciens se debere adhibere aliquem Dei offensi propter se Amorem, & nesciens qualem, quam magnum, quam vehementem, eò majori curâ conaretur ad perfectum Dei Amorem pertingere, ut sic securissimo modo è cœno peccatorum se extrahat, & ad Deum se convertat.

Unde omninò obligantur Parochi & Confessarii populum adhortari ad perfectam contritionem ex Charitate Perfectâ procedentem, tum quia, dum ad illam annisi fuerint, adhuc forte in purum aliquem Dei propter se Amorem vix dilabentur, tum quia illa sententia, quæ requirit ad justificationem etiam cum Sacramento perfectam contritionem nondum ab Ecclesiâ proscripta sit, & à Catholicis Authoribus adhuc defendatur, ut infra videbimus: quæ, si vera foret, nulla probabilitas illius defectum supplere posset.

Deinde eadem difficultas de Amore secundum nos ad Attritionem requisito, Authoribus contrariæ sententiæ solvenda est de Timore. Cum enim non quilibet

gehennę Timor excludat voluntatem peccandi, adeoque non quilibet sit sufficiens ad justificationem cum Sacramento; etiam determinare debent, qualis ergo Timor requiratur. Nec sufficit dicere se exigere Timorem efficacem, ut quosdam respondentes audivi: idem enim & nos eodem jure dicere possemus de Amore, nempe requiri Amorem efficacem. Cum autem hæc adversariis non sufficiat responsio, sed ulterius exigant qualis iste Amor efficax esse debeat; etiam nobis adversariorum responsio non satisfacit, sed ulterius exigimus, qualis, quam magnus, quam vehemens, quam intensus, quam diuturnus debeat esse iste Timor efficax.

## §. III.

### *An sufficiat cum Sacramento ad justificationem Amor Concupiscentiæ Sanctæ, seu Castæ.*

SUfficere illum Amorem Castę Concupiscentiæ ab aliquo tempore quidam recentiores docere inceperunt: attamen illa sententia nunquam mihi placuit; cum vel Amor ille coincidat cum Amore Dei propter se, vel hunc saltem præsupponat, vel non sufficiat ad justificationem.

nem. Quod ut oſtendam notandum vocem illam, *Amor Caſtæ Concupiſcentiæ*, eſſe vocem ambiguam, ſub quâ magna latere poſſet deceptio: quæ ut evitetur, notandum per Amorem Caſtæ Concupiſcentiæ poſſe intelligi affectum, quo nobis quidem optamus ipſum Deum, in ipſo tamen, & propter ipſum, *ut in æternâ vitâ ſit Deus omnia in omnibus.* Ut loquitur S. Auguſtinus. Et ex illo Amore Caſtæ Concupiſcentiæ cenſetur dolor ex metu gehennæ procedere, quando quis dolet ſe incurriſſe reatum gehennæ: quia ſi in illam projiceretur, privaretur poſſeſſione Dei & impediretur in æternum à Dei Amore, beatitudine ſua, ac moveretur ad odio habendum Deum.

lib. 3. ad Bonif. cap. 4.

Hunc Amorem Caſtæ Concupiſcentiæ in ſpe, quando habet rationem virtutis Theologicæ, agnoſcit S. Saleſius in libris de Amore Dei; ubi inter cætera ait: *Amor igitur ille, quem vocamus ſpem, eſt Amor Concupiſcentiæ,* SED CONCUPISCENTIÆ SANCTÆ ET BENE ORDINATÆ, *per quem non trahimus Deum ad nos, neque ad noſtra commoda, ſed ei nos jungimus ut finali noſtræ felicitati. Simul cum Deo per hunc Amorem nos amamus; ſed Deo nos non præferimus, vel æquamus in hoc Amore. Noſtri ipſorum Amor eſt mixtus Dei Amori, ſed Dei ſupernatat. Proprius quidem noſter Amor*

 *intrat,*

*intrat, sed solum ut simplex motivum, & non principale. Propria nostra utilitas aliquem in eo tenet locum, sed Deus primum & principalem.*

Quod si nomine Castæ Concupiscentię intelligant talem Amorem, solo nomine discrepant ab alia sententiâ, quæ exigit aliquem Amorem Benevolentiæ erga Deum, seu Dei propter se Amorem; cum ille Amor Castæ Concupiscentiæ, vel sit Amor Benevolentiæ, vel illum saltem præsupponat; & consequenter & ille dolor, qui ex illo Amore Castę Concupiscentiæ procedit, reverà ex Amore Benevolentiæ erga Deum procedit.

Verum si hoc intelligant per Amorem Castæ Concupiscentiæ; ad quid adhibere novam illam vocem ambiguam, & non potius communes terminos à SS. Patribus usitatos, nempe *Dilectio justitiæ*, *Amor Castus*, *Charitas* &c.? Theologus enim maximè ad hoc anniti debet, ut, sicut ex Patribus eruere debet veritates Theologicas, ita & illorum terminis insistat, cum in Theologia summoperè sit veneranda Antiquitas, & repudianda omnis Novitas.

Si autem per Amorem Castæ Concupiscentiæ intelligant affectum, quo nobis ipsis optamus Deum, quia nobis bonum est summum illud bonum possidere, quod solum

solùm satiare potest appetitum nostrum, ibi hærendo, & id non ad Deum retorquendò, vel reflectendò; tunc dolor censetur procedere ex illo Amore, quandò dolemus de peccato, tum quia nos privat illo summo bono, quod nobis propter nos volumus, tum quia afficit nos gravi pœnâ, quâ cruciamur.

Et quidem illum dolorem non sufficere ad justificationem omnino affirmo. Primò quia, sicuti ille Amor Concupiscentiæ est inordinatus, juxta illud S. Salesii suprà, ubi ait: *Anima quæ Deum non amaret, nisi propter Amorem sui ipsius, faciens finem amoris, quem Deo defert, in propriis suis commodis; eheu! maximum committeret sacrilegium.* Cujus ratio est, quia ordo amoris exigit, ut omnia nostra in Deum, tanquam finem ultimum, dirigantur, ut latè probavi in 1. parte nostri Tyrocinii tract. 2. cap. 6. §. 1. Ita etiam inordinatus est dolor, qui ex illo Amore procedit. Secundò quia per illum Amorem & dolorem non convertimus nos ad Deum, sed ultimatè ad nos ipsos, propriumque nostrum commodum, in quo finaliter hæremus. Quare enim per talem Amorem concupiscimus Deum nobis? Nonnisi ut nobis bene sit, & ut nos summum illud bonum possideamus, sine ullo ulteriori ad Deum respectu. Et quare ex

illo Amore dolemus de peccatis? Nonnisi ut à nobis avertamus grave illud malum pœnæ, sine alio Dei intuitu. Ut enim in nostro Tyrocinio latè ostendimus, non nisi Dei propter se Amor in Deum tendit, ibique hæret. *Donum Dei*, inquit S. Augustinus, *propriè nonnisi Charitas intelligenda est; quæ ducit ad Deum, & sine quâ quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum.* Et alibi: *Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum: id autem est solus Deus,* CUI HÆRERE CERTÈ NON VALEMUS, *nisi Dilectione, Amore, Charitate.*

lib. 15. de Trinit. cap. 18.

lib. de Moribus Eccles. cap. 14.

Liquent jam dicta clarè ex S. Bernardo explicante illa Psalmi 48. verba: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*; ubi dicit: *Est qui confitetur Domino, quoniam potens est, & est qui confitetur, quoniam* SIBI BONUS EST: *& item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est.* PRIMUS SERVUS EST, *& timet sibi.* SECUNDUS MERCENARIUS EST, *& cupit sibi. Tertius filius, & defert Patri. Itaque* ET QUI TIMET, ET QUI CUPIT, UTERQUE PRO SE AGUNT. SOLA, *quæ in filio est*, CHARITAS NON QUÆRIT QUÆ SUA SUNT. *Quamobrem puto de illâ dictum: Lex Domini immaculata convertens animas*, QUOD SOLA VIDELICET SIT, QUÆ AB AMORE SUI ET MUNDI AVERTERE POSSIT ANIMUM, ET IN DEUM DIRIGERE. NEC TI-

Epist. 11. & lib. de Diligendo.

MOR QUIPPE, NEC AMOR PRIVATUS CONVERTIT ANIMUM. *Mutant interdum vultum, vel actum*: AFFECTUM NUNQUAM. *Facit quidem etiam servus nonnunquam opus Dei, sed quia* NON SPONTE, *in suâ adhuc duritiâ permanere convincitur. Facit & mercenarius, sed quia* NON GRATIS, *propriâ trahi cupiditate cognoscitur.... Sit itaque servo sua lex Timor ipse, quo constringitur, sit mercenario sua cupiditas, quâ & ipse arctatur, quando ab ipsa tentatur abstractus, & illectus.* SED HARUM NULLA AUT SINE MACULA EST, AUT ANIMAS CONVERTERE *potest.* CHARITAS *verò* CONVERTIT ANIMAS, *quas facit & voluntarias.* Verba hæc non commentatore aut expositione indigent; sed tantum lectore, & nimis clara sunt, quam ut præjudiciis, vel aliâ de causâ aliò contorqueri possint.

Hinc etiam Tridentinum quandò agit de dispositionibus necessariò requisitis in adultis ad Sacramentum Baptismi, inter alias dispositiones à Catechumenis ultra actum spei, qui indubiè magis ordinatum Concupiscentiæ Amorem, quam mox descriptum, includit, exigit formalem Dilectionis Dei actum, quo *Deum tanquam omnis justitiæ fontem Diligere* incipiant. Hinc etiam, quando contra hæreticos docet licitum esse inclinare cor suum ad facien- Sess. 6. cap. 6.

das

das Dei justificationes propter retributionem, non Deo dandam, sed ab ipso recipiendam, tunc expressè addit, ut mercedem intueamur æternam *cum hoc, ut imprimis glorificetur Deus.*

Sess. 6. cap. 11.

Possemus hanc sententiam latè ex SS. Patribus confirmare, qui ad justificationem clarè exigunt Dei Dilectionem, Dei Charitatem, &c. Sed hoc alibi præstitum est. Addo hic unum S. Augustini locum, ubi dicit: *Nullum est isto Dei dono* (Charitatis) *excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera; sed sine Charitate nihil prosunt. Nisi ergò tantùm impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistrâ non transfertur ad dexteram.* Cui adjunge illud: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & Amor Dei.* Maximè cum juxta SS. Patrum doctrinam qui amicum amat, ut præstet sibi aliquod commodum, non illum amet, sed illud. Unde dicit S. Bernardus: *Quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit, non per quod tendit.* Et S. Prosper in libro sententiarum, quem multi librum de verâ innocentiâ intitulant & habetur inter opera S. Augustini tom. 3. *Qui Deum ideò colit, ut aliud magis quam ipsum promereatur: non Deum colit, sed illud, quod assequi concupiscit.* Sit

lib. 15. cap. 18. de Trinit.

Serm. 7. de temp.

lib. de diligendo Deo.

Proposit. 20.

Sit ergò ſtabilitum ad juſtificationem cum Sacramento requiri verum Charitatis, ſeu Dilectionis, ſive Dei propter ſe Amoris actum.

## §. IV.

### *Non omnis Dei propter ſe Amor ſufficit cum Sacramento ad juſtificationem.*

RESolutio hæc continet communem ſententiam Authorum noſtræ ſententiæ,qui requirunt aliquem Dei propter ſe Amorem ad Attritionem ſufficientem cum Sacramento ad juſtificationem

Probatur 1. Quia nihil notiùs in S. Auguſtino aliiſque SS. Patribus, quam quod *omnis bona voluntas ſit Charitas*, uti ex Patribus oſtendimus in noſtro Tyrocinio parte 1. tract. 2. cap. 6. §. 3. Atqui non omnis bona voluntas ſufficiens eſt ad juſtificationem cum Sacramento: ergo nec omnis Charitas, ſeu Dei propter ſe Amor. Deinde clara S. Auguſtini eſt doctrina, quandoque in infidelibus adhuc in infidelitatis tenebris, & in peccatoribus adhuc cæno peccatorum inhærentibus poſſe reperiri Imperfectum aliquem Dei Amorem propter ſe, quando Deus incipit tangere corda

corda eorum, & ſenſum diſponere ad fidem & juſtificationem, prout latè probavi in noſtro Tyrocinio loco citato, lib. 8. c. 5. & patuit in S. Auguſtino, ipſo teſte, in libris Confeſſionum. Qui Amor, utpote nondum ſufficiens ad excludendam voluntatem peccandi, etiam necdum ſufficit ad juſtificationem cum Sacramento; cum ſecundum Tridentinum voluntatis excluſio omninò requiratur ad ſufficientem Attritionem, & dictet ratio quod, qui petit ab altero veniam offenſæ, promittat & velit deſiſtere ab alterius injuriâ. Vide Tyrocinium citatum parte 1. Tract. 1. cap. 6. §. 6.

Confirmat hanc rationem manifeſta experientia. Nunquid non aliquando peccatores adhuc peccatis inhærentes piè & caſtè Deo afficiuntur, ſibique in illo complacere incipiunt? Quidnam autem hoc eſt aliud quam incipere Deum propter ſe amare, vel ut loquitur Tridentinum, Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipere? Quomodo autem hæc Dei Dilectio voluntatem peccandi excludit, cum maneant in ſuis peccatis & in illis perſeverent, ac illa continuent & de novo perpetrent?

§. V.

## §. V.

### *Non omnis Dei propter se Amor statâ & infallibili lege justificat sine Sacramento.*

RESolutio hæc à fortiori sequitur ex priori, & inter Authores nostræ sententiæ est indubitata, cui tanquam rei certæ immorari frustraneum judicarem, nisi hic breviter refutanda foret cujusdam Recentioris injusta censura, quam inurit huic Resolutioni, cum dicit: *Aliquam esse Charitatem, quæ tam debilis sit, ut sine Sacramenti adminiculo peccatorem cum Deo reconciliare non possit, novum est figmentum & in Ecclesiâ ante Bayum prorsus inauditum.* Attamen injustus ille Censor parum scivit quid SS. Patres olim docuerint, cum in illis vix quid certius sit, quam non omnem Charitatem hominem Deo posse reconciliare sine Sacramenti adminiculo. Nunquid non habebat S. Augustinus Charitatem tam debilem, quæ non poterat hominem peccatorem Deo reconciliare, cum dicebat Deo: *Voluntas nova, quæ mihi esse cæperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus, sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam?* Nunquid lib. 8. Confess. cap. 5.

quid talem Charitatem non agnovit S. Augustinus, quando dicit: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam.* Ecce! per *bonam voluntatem*, more suo intelligit *Charitatem*, uti ex sequentibus patet. Verbis enim citatis immediatè subjungit: *Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est, magnâ Charitate fecerunt. Quasi verò*, inquit alibi, *aliud sit bona voluntas, quam Charitas, quam scriptura nobis esse clamat ex Deo.*

De Grat. & lib. Arbitr. cap. 17.

De gratiâ Christi cap. 21.

Deinde in doctrinâ S. Augustini ad omne opus requiritur Charitas illud referens in Deum, tanquam ad ultimum finem, pro ut latè probavi in Tyrocinio parte 1. tract. 2. Atqui indubiè major requiritur Charitas ad justificationem sine Sacramento, quam ad opus aliquod in Deum referendum. Ergo.

Verum si Censor ille non multum deferat Autboritati S. Augustini aliorumque SS. Patrum, deferet saltem authoritati Patrum Concilii Tridentini, qui teste Pallavicino in historiâ Concilii Tridentini manifestè agnoscunt Charitatem non justificantem. Cum enim in decreto Sessionis sextæ Capitis sexti de justificatione inter dispositiones ad justificationem cum Baptismi

lib. 8. cap. 14.

ptiſmi Sacramento neceſſarias Theologi exegiſſent, ut *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant.* Et poſtea cap. 7. iterum exegiſſent Charitatem tanquam formam juſtitiæ, circa hoc mota fuit aliqua difficultas: *quibuſdam*, inquit, Cardinalis Pallavicinus, *animadvertentibus Charitatem ſuperiori capite* (nempe cap 6.) *memoratam, recenſeri ſub illius initium inter ea, quæ præparant animum ad juſtitiam ſuſcipiendam, poſtea verò* (cap. 7.) *tanquam juſtitiæ formam poni, reſponderunt decreti formatores in primo loco ſermonem eſſe de* QUODAM ACTU CHARITATIS, CUM INSIT ALIQUA DILECTIO IN HOMINE, NON QUIDEM OBTINENTE, SED EXOPTANTE IUSTITIAM: *at in ſecundo ſignificari habitum.* Quorum reſolutioni cæteri acquieverunt. Datur ergo actus Charitatis in homine nondum obtinente juſtitiam; illumque exigit Tridentinum à Catechumenis ad juſtificationem in Sacramento Baptiſmi obtinendam, adeoque non omnis juſtificat ſine Sacramento.

Ut autem omnis dubitatio tollatur, & ne ſub voce, *Charitas*, lateat deceptio, notum eſt pervolventibus volumina SS. Patrum, hos paſſim confundere illas voces, *Amor, Dilectio, Charitas, Bona Voluntas* &c. Uti nos alibi latius oſtendemus, & vel ex uno loco S. Auguſtini palam fit, cùm dicit:

lib. 14. de Civit. cap. 7. *Cujus propositum est amare Deum, & non secundum hominem, sed secundum Deum amare proximum, sicut etiam seipsum: propter hunc Amorem dicitur voluntatis bonæ, quæ usitatius in Scripturâ Charitas appellatur: sed Amor quoque secundum easdem litteras dicitur. Nam & ipse Dominus Petrum interrogans cum dixisset, diligis me plus his? Ille respondit, Domine tu scis, quia amo te.* Hoc propterea commemorandum putavi, quia nonnulli arbitrantur aliud esse Dilectionem sive Charitatem, aliud Amorem. Ideo scripturas sacras non aliud dicere Amorem, aliud Dilectionem, vel Charitatem insinuandum fuit. Unde licet aliqui quandoque inter illas voces distinxerint, tamen id non ab omnibus, neque etiam ab illis strictè observatum fuit. Scholastici tamen quandoque valde strictè sumunt vocem, *Charitas*, sic ut per illam intelligant habitum Charitatis, vel actum ab eo procedentem, vel saltem actum perfectæ Charitatis, & in hoc sensu Charitas sine reconciliatione cum Deo esse non potest. At in tali strictâ significatione non sumimus vocem *Charitas*, quando in Resolutione dicimus non omnem Charitatem, seu, quod idem est, non omnem Dei Dilectionem, seu non omnem Dei propter se Amorem justificare hominem sine Sacramento. Turpe est Theologo

Theologo de vocibus disputare, cum de re constat, nec malè loquitur Theologus qui terminis Sanctorum Patrum inhæret.

Melius ergo nos è contra dicere possumus: *Non dari aliquam Charitatem, quæ tam debilis sit, ut sine Sacramenti adminiculo peccatorem cum Deo reconciliare non possit, novum est figmentum, & in Ecclesiâ ante Bayum prorsus inauditum.* Quod figmentum clarissimè SS. Patres & Concilium Tridentinum proscripserunt.

Hoc tamen hic notandum doctrinam nostram nullam planè habere connexionem cum doctrinâ, quam aliqui adscribunt Bayo. Hic enim author nullam agnovit imperfectam Charitatem seu imperfectum Dei propter se Amorem, uti constat ex Proposit. 37. condemnata à Pio V. & Gregorio XIII. quæ sic sonat: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur quæ à Ioanne prohibetur aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Consequenter istius Propositionis Author docuit ad justificationem, cum Sacramento requiri Charitatem perfectam, quam & cum reatu æternæ damnationis posse consistere putavit, & non justificare, licet cum voto suscipiendi Sacramentum conjuncta sit, Prop. 37.

extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti. Patet ex
Prop. 67. Propositione 67. & 68. *Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis potest habere Veram Charitatem & Charitas, etiam Perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*
Propos. 68. *Per Contritionem etiam cum Charitate Perfectâ cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.*
Prop. 30. Item ex propositione 30. & 31. *Charitas Perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientiâ bonâ & fide non fictâ tam in Catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*
Propos. 31. *Charitas illa quæ est plenitudo legis non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Quæ omnia nos negamus; adeoque quid commune cum hâc doctrinâ habet Resolutio nostra?

An fortè omnis Charitas, quantumcunque tenuis, vel Dei Dilectio, quantumvis tenuis, est Perfecta Charitas? Ita quidem aliqui ex adversariis docent, at sine ullo fundamento, imo contradicentibus manifestè SS. Patribus & Tridentino Concilio ut ex dictis liquet. Posse enim Deum verè, sincerè & gratis propter seipsum, nullius etiam creaturæ, sed ipsius solius intuitu diligi, licet illa dilectio ad illam nondum pertingat perfectionem,

fectionem, sed in simpliciori & inferiori affectu hæreat, constans est Patrum doctrina, quam tradidit Tridentinum, quando inter dispositiones necessarias ad justificationem exigit à Catechumeno, ut *Deum tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiat.* Quid enim est diligere Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, quam diligere Deum, non propter rivos beneficiorum, ab ipso Deo, tanquam fonte, promanantes, sed Deum propter ipsum Deum diligere, & fontem propter ipsum fontem, propriamque bonitatem, ut notat Exim. P. Fervaquez in suâ quæstione quodlibeticâ de Attritione. §. 3. Arg. 1. fol. 8. Unde in talibus Catechumenis agnoscit S. Augustinus *Charitatem inchoatam*, quâ pro mensurâ Charitatis & Dilectionis incipiunt adjutorio gratiæ languidè caput è cœno peccatorum erigere, seque ad Deum convertere, & quodammodo fieri candidati justitiæ perfectæ, juxta illud S. Augustini: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; Charitas provecta, provecta justitia est; Charitas magna, magna justitia est; Charitas perfecta, perfecta justitia est.* lib. de nat. & grat. cap. 70.

Hanc Imperfectam Charitatem, seu Dei Dilectionem & Amorem manifesta evincit ratio: sicuti enim Patrem nostrum terrenum possumus vero Amore propter ipsum amare, sic tamen ut ille

 Amor

Amor non fit Amor perfectus, & per illum non amemus quantum à nobis amandus est; cur etiam tali Amore non possemus amare Patrem nostrum cælestem, Deum? Cur talis Amor verus Dei debet esse perfecta Dei Charitas? Possumus eum seorsim à creaturis considerare, nec ad eum comparare, & sic simplici tantum complacentiâ; castâ, quamvis tenui, summum illud bonum attingere.

Nec præsidium ullum contrariæ sententiæ ex Scripturâ Sacrâ habetur, licet
Proverb. 8. dicat: *Ego diligentes me diligo. Convertimini ad*
Zachar. 1. *me, & ego convertar ad vos. Qui diligit me, di-*
Ioan. 14. *ligetur à Patre meo, &c.* Fatemur enim quod Deus bonus ac misericors diligentes se indubitanter diligat. Cum enim gratis ac sine ullo merito dignetur sanctæ suæ Dilectionis inspirare affectum, cum adhuc tales peccatores essemus, ut planè adhuc à Deo aversi, nullo modo Deum diligeremus; quidni & diliget illos, qui jam è fæce peccatorum caput erigere incipiunt, seque ad Deum convertere per dilectionem? Et hoc est quod docet S. Bernar-
Epist. 107 num. 8. dus, cum ait: *Nemo itaque se amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei Amor nostrum, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit & needum amantes?* Sicuti autem

autem ex eo quod Deus amet peccatores nondum ſe diligentes inferri nequit, illos jam eſſe juſtificatos; ita etiam ex eo quod Deus diligat ſe diligentes, non ſequitur illos iſtâ Dilectione juſtificatos, ſed tum demum quando iſta Dilectio ad tantam excreſcit perfectionem, ut Deum diligant ex toto corde, totâ animâ, ex totâ mente, ex totis viribus. Diligit ergo Deus iſtos ſe diligentes quatenus ex parte ſuâ in illis continuat & perficit Dilectionis affectum, donec ad tantam perfectionem veniat, niſi homo ex parte ſuâ deficiat, illumque dilectionis affectum per mundi cupiditatem è corde expellat. Primò ergo peccatori adhuc toto affectu creaturis immerſo Dilectionis *ipſe dat occaſionem*, poſtea *ipſe creat affectionem*, & tandem *deſiderium ipſe conſummat*. Ut ait Bernardus. lib. de Diligen. Deo.

Ad objecta ergo Scripturæ loca, uti & ad ſimilia generaliter reſponderi debet; Non omni diligenti, omni ſe convertenti ad Deum remiſſionem promitti peccatorum, ſed ſolum illis qui ex toto ſeu perfecto corde illud præſtant. *Convertimini ad me*, ait Deus, IN TOTO CORDE VESTRO *in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Ioëlis 2. v. 12. *Cum quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum,* Deut. 4. v. 29. SI TAMEN TOTO CORDE QUÆSIERIS, *& totâ tribulatione animæ tuæ. Quæretis me, &* Ierem. 29. v. 13. *invenie-*

*invenietis:* CUM QUÆSIERITIS ME IN TOTO CORDE VESTRO.

## §. VI.

### *An detur Charitas & ex eâ procedens Contritio statâ & infallibili lege justificans, etiam sine actuali susceptione Sacramenti, aut perpessione martyrii.*

Sess. 14. cap. 4. RESP. Affirmativè & constat ex Concilio Tridentino, quod hoc clarè supponit, quando dicit: *Contritionem aliquando* CHARITATE *perfectam, hominemque* RECONCILIARE, PRIUSQUAM SACRAMENTUM ACTU SUSCIPIATUR. Et patet ex 68. propositione condemnatâ à Pio V. & Gregorio XIII. quam §. præcedenti citavimus. Liquet etiam ex illis S. Scripturæ locis, quæ promittunt perfectæ dilectioni & conversioni peccatoris ex toto corde &c. ad Deum, remissionem peccatorum. Isaiæ c. 30. & 45. *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis.* Psal. 79. *Convertimini ad me & salvi eritis. Converte nos, & salvi erimus.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, vitâ vivet & non morietur.* Ibid. c. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quâcunque die conversus fuerit ab impietate suâ.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo*

*nifeſtabo ei meipſum ..... & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

4. Supponit hanc ſententiam Catechiſmus Romanus, cum ait: *ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri.* p.2.c.5. n.32.

5. Probatur hâc ratione: Charitas Perfecta & ex illa procedens contritio indubiè habuerunt vim & efficaciam reconciliandi hominem cum Deo in Veteri Lege, cum tunc nullum aliud reconciliationis remedium adultis relapſis ſuppeteret; atqui illa vis & efficacia non eſt adempta Contritioni ex Charitate Perfectâ procedenti in Novâ Lege, ergo etiam adhuc infallibili lege illa Contritio juſtificat.

6. Confirmari poteſt hæc ſententia ex variis SS. Patrum locis, in quibus agnoſcunt Charitatem infallibili lege juſtificantem. Sic S. Auguſtinus ait: *Hæc eſt margarita ſpecioſa Charitas: ſine quâ nihil tibi prodeſt quodcunque habueris; quam, ſi ſolam habeas,* SUFFICIAT TIBI. Si autem illa Charitas peccatorem non juſtificaret, quomodo ſufficeret homini illam ſolam habere; cum necdum peccatorum remiſſionem conſecutus fuiſſet, adeoque adhuc obnoxius foret æternæ damnationis reatui? Ipſam ergo *ſi ſolam habeas, ſufficiat tibi*: quia *ipſa eſt via, quæ ducit per ſe ambulantes ad Patriam* ( ut ait Expoſit. 5. in Ep. Ioan. lib. 3. de vitâ contempl. cap. 13.

ait S. Prosper) & consequenter ad justificationem. Hinc & alibi S. Aug. ait: *Ipsa vero Dilectio, sive Charitas (nam unius rei est utrumque nomen) si habeat eam qui non loquitur linguis, nec habet Prophetiam, nec omnia scit Sacramenta, omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus, vel non habendo quod distribuat, vel aliquâ necessitate prohibitus, nec tradit corpus suum ut ardeat, si talis passionis nulla tentatio est,* PERDUCIT AD REGNUM. Deinde

lib. 14. de Civit. cap. 28. Prosp. sent. 221.

*Amor Dei*, qui, teste S. Augustino & S. Prospero, *facit Ierusalem, seu civitatem cælestem*, indubiè est Amor justificans; cum ex illo Amore colligat S. Prosper illum esse civem cælestis Jerusalem, qui istum habet.

2. In doctrina S. Augustini ipsamet Perfecta Charitas est Perfecta justitia, secundum illud: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; Charitas provecta, provecta justitia est; Charitas magna, magna justitia est; Charitas Perfecta, Perfecta justitia est.* Quomodo ergo à Charitate Perfecta abesse potest justificatio, cum justificatio non sit aliud, quam Perfectæ justitiæ consecutio, *perfecta* autem *Charitas* sit *ipsa perfecta justitia*? Seu (ut loquitur S. Bernardus, vel quisquis est Author lib. de modo bene vivendi ad Sororem cap. 4.) *Perfecta sanctitas*?

De Nat. & Grat. cap. 70.

Confirmatur hæc sententia ex S. Bernardo

nardo, dicente: *Animæ reditus, conversio ejus ad verbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In Charitate. Ait enim: estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in Dilectione, sicut & Christus dilexit vos. Talis conformitas* MARITAT ANIMAM VERBO, *cum, cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo* SI PERFECTE DILIGIT, NUPSIT *Quid hâc conformitate jucundius? Quid optabilius charitate? Quâ fit ut humano magisterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad verbum, Verbo* CONSTANTER INHÆREAS, *verbum familiariter percuncteris consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, contractus; complexus est. Complexus planè, ubi idem velle, & nolle idem, unum facit Spiritum de duobus.* Quomodo clarius & efficacius potuit exprimere Charitatis Perfectæ vim & efficaciam justificandi? Nonne illa Charitas justificat & reconciliat hominem Deo quæ *maritat animam verbo, quâ Diligens Deo nubit, quâ verbo constanter inhæret, quâ familiariter cum verbo conversatur, quâ verbum complectitur, quâ homo fit unus cum Deo spiritus, habens idem velle & nolle cum Deo?* Illa autem juxta Bernardum præstat Charitas Perfecta.

Serm. 83. in Cant.

Ephes. c. 5.

Hinc

Huic Melliflui Doctoris loco adjungi potest locus S. Augustini, scribentis in illud Psalm. 31. *Dixi Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Ait: *Dixi. Quid dixisti? Non jam pronuntias, sed promittis se pronuntiaturum, & ille jam dimittit. Attendite fratres, magna res, Dixi: pronunciabo. Non dixi, pronuntiavi, & tu dimisisti. Dixi pronunciabo, & tu dimisisti: quia eo ipso quod dixit, pronunciabo, ostendit quia nondum pronunciaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere pronunciabo, pronunciare est, ideo & tu remisisti impietatem cordis mei. Confessio vero mea ad os nondum venerat. Dixeram enim, pronunciabo adversum me, verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. Tu remisisti impietatem cordis mei, quia dixi pronunciabo.*

Enarrat. 2. in Psal. 31.



## §. VII.

*Proponitur Sententia, quæ tenet requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ Contritionem Perfectam ex Charitate Perfectâ procedentem, quæ justificat sine Sacramenti actuali susceptione, & fertur de illâ judicium Authoris.*

Sententiam hanc in Concilio Tridentino, teste Cardinale Pallavicino, tenuit & defendit Joannes Æmilianus Hispanensis, Tudetanus Antistes. Eandem sententiam apud Tannerum tenent Hugo & Richardus Victorinus, Alensis, Altisiodorensis, Bonaventura, Argent, Gabriel, Marsilius, Abulensis, Medina, And. Gandavensis, Ferrariensis, Cajetanus & alii. Unde & Lopez testatur hanc esse *opinionem antiquorum*, cui opinioni variis in locis videtur subscribere Angelicus Doctor; quæ loca hic subjiciemus. Dicit ergo 1. *Dicendum, quod* CONFESSIO PRÆSUPPONIT CHARITATEM, QUA QUIS VIVUS EFFICITUR ..... *Contritio autem est in quâ datur Charitas.* Et iterum: *Quantum ad fructum confessionis, illum nullus extra Charitatem existens percipit.* Ubi agit de Charitate, quæ est

In Historiâ Conc. lib. 12. cap. 10.

tom. 4. disp. 6. quæst. 6. dub. 4.

In Supplement. quæst. 7. art. 1. ad 2.

Ibidem q. 9. art. 1, ad 1,

est animæ vita, uti ex objectione, ad
Ibidem ad 2. quam respondet, liquet. Et postea: *Dicendum quod contritio & satisfactio fiunt Deo, sed confessio fit homini: & ideo de ratione contritionis & satisfactionis est, quod homo* SIT DEO PER CHARITATEM UNITUS. Nec obest quod immediatè post subjiciat; *non autem de ratione confessionis.* Quia licet sine illâ contritione dicat posse subsistere validam confessionem tenet tamen sine illâ contritione confessionem esse informem, seu
Ibidem qu. 10. art. 5. in corp. sine fructu & effectu. Et quæst. 10. *Dicendum quod confessio operatur præsupposita* CONTRITIONE, QUÆ CULPAM DELET. Eandem doctrinam in variis suis opusculis etiam docet, & 1. in opusculo de formâ Absolutionis, ubi sibi format hanc objectionem, quæ est objectio septima, *quod in suscitatione Lazari secundum Augustinum & Gregorium significata est suscitationis peccatorum præoperatio, quia Lazarus est primus à Domino vivificatus, quàm traderetur discipulis absolvendus.* Ad quam respondet ..... *per hoc ergo non ostenditur quod Sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere, ego te absolvo; sed quod non debeat absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius à Deo culpâ remissâ.* Item in Opusculo, cujus titulus Expositio Dominicæ orationis. Ad petitionis quintæ expositionem dicit: *Circa secundum,*

*ſecundum, quomodo impleatur hæc petitio, ſciendum eſt, quod in peccato ſint duo, ſcilicet culpa, quâ offenditur Deus, & pœna quæ debetur pro culpa: ſed culpa remittitur in contritione, quæ eſt cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Pſalm. 31. Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Non eſt igitur deſperandum, ex quo ad remiſſionem culpæ ſufficit contritio cum propoſito confitendi. Sed fortè quis dicet, ex quo dimittitur peccatum in contritione, ad quid neceſſarius eſt Sacerdos? Ad hoc dicendum eſt, quod Deus in contritione dimittit culpam, & pœna æterna commutatur in temporalem, ſed nihilominus manet adhuc obligatus ad pœnam temporalem, unde ſi diſcederet ſine confeſſione, non contempta tamen, ſed præventa, iret ad purgatorium, cujus pœna, ſicut dicit Auguſtinus, eſt maxima. Quando ergò confiteris, Sacerdos abſolvit te de hac pœna in clavium virtute, cui te ſubjeceris in confeſſione: & ideò dixit Chriſtus Apoſtolis, Ioan. 20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis ..... Sic ergo dimittuntur peccata non ſolum quantum ad culpam in contritione, ſed etiam quantum ad pœnam in confeſſione.* Hiſce adde id quod habet Angelicus Doctor in ſuâ Summâ: *Requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ ut diſpliceat peccatum, quia* EST CONTRA DEUM SUPER OMNIA DILECTUM. Ruminent hæc præceptoris ſui loca illi Thomiſtæ, qui tenent Attri- 3.p.q.86. art. 3. in corp.

Attritionem ex puro puto gehennæ metu ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento, & videbunt quam longè diſcrepent ab Angelici Doctoris mente, quamque ſint degeneres in hoc puncto diſcipuli. Quod & magis patebit, ſi legant Germanum Philaletem de Contritione.

Ratio hujus ſententiæ poſſet allegari, quod in *lege Amoris* non minor requiratur Charitas ad juſtificationem, quam in *lege Timoris*; atqui in lege Timoris nunquam adultus, in mortale lapſus, fuit juſtificatus ſine contritione Perfectâ ex Charitate Perfectâ procedente; ergò etiam in lege Amoris nunquam aliquis pertingere poteſt ad juſtificationem ſine Charitate Perfectâ.

Minor eſt certa. Major autem, in qua eſt difficultas, hoc modo probari poſſet, quia videtur inordinatum & quodammodo evertere diſcrimen utriuſque legis, quod teſte S. Auguſtino eſt *Timor & Amor*, ſi Deus in *lege Timoris à ſervis*, in ordine ad juſtificationis gratiam obtinendam, majorem ſui Dilectionem ſeu Charitatem exegerit, quam in *lege Amoris exigat à filiis*. Exegiſſet autem, ſi illi nunquam potuiſſent pertingere ad juſtificationem ſine Charitate Perfectâ, ſi verò poſſint.

Quid mihi in hâc ſententiâ videatur, breviter

breviter ſequentibus concluſionibus aperiam, unde.

Dico 1. Sententia hæc, quæ docet contritionem perfectam requiri ad juſtificationem, etiam cum Sacramento, ſine notâ gravis cenſuræ, adhuc poteſt defendi.

Probátur, quia neque ex S. Scripturâ, neque ex Conciliis, neque ex SS. Patribus oſtendi poteſt ejus ſententiæ falſitas, & ab alterâ parte defenditur adhuc à Catholicis Doctoribus, qui illam rationibus probabilibus ſtabiliunt.

Quantum ad S. Scripturam, ex illâ bene habemus, quod *impietas impii non nocebit ei in quâcumque die converſus fuerit ab impietate ſuâ.* Ezech. 33. Quod *ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, vitâ vivet, & non morietur.* Ibid. c. 14. Quod *qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*, ut ait Chriſtus: Joan. 11. At exinde tantum inferri poteſt Contritionem ex Charitate Perfectâ procedentem ſemper juſtificare, quod iſtius ſententiæ Authores libenter admittunt.

Solum videri alicui poſſet hæc ſententia proſcripta eſſe à Concilio Tridentino Seſſione 14. in quâ docet: *Contritionem aliquando Charitate Perfectam eſſe, hominemque reconciliare priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur.* Trident. Seſſ. 14. cap. 4. Et antea cap. 3. in quo dicit, quod cap. 3.

effectus Sacramenti Pœnitentiæ, *quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, sit Reconciliatio*
cap. 6. *cum Deo*. Denique cap. 6. declarat quod Absolutio Sacramentalis, *non sit solum nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso Sacerdote velut à judice sententia pronuntiatur*. Et ibidem antea docet: *Sacerdotes, tamquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere*. Si enim Contritio perfecta requireretur cum Sacramento, vel sequeretur quod illa non justificaret sine actuali Sacramenti susceptione, adeoque falsus esset primus locus è Tridentino allegatus, vel si justificet (ut jam supponitur) sequitur hominem semper jam esse justificatum antequam Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat, & consequenter falsa forent tria posteriora loca ex Concilio deprompta. Quomodo enim Sacramenti Pœnitentiæ effectus posset dici reconciliatio peccatoris cum Deo, si homo semper jam sit reconciliatus cum Deo antequam Sacramentum hoc suscipiat? Et quomodo Sacerdotes tanquam ministri Christi exercent functionem remittendi peccata, si peccata jam sint ante absolutionem remissa?

Loca hæc & similia moverunt Authores Catechismi Romani, ut dicerent de fide esse Contritionem perfectam non requiri

quiri cum Sacramento Pœnitentiæ ad justificationem. Cum enim dixissent Contritione perfectâ deleri peccatum, sed rarò peccatorem illam elicere, subjiciunt: *Etenim ex Fidei Catholicæ Doctrinâ omnibus credendum, & constanter affirmandum; si quis ita animo affectus sit ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandum veniam satis esse possit; ei tamen, cum peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari: ut meritò à Sanctissimis Viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clavibus aditum in cælum aperiri. De quo nemini dubitandum est, cum à Concilio Florentino decretum legamus Pœnitentiæ effectum esse absolutionem à peccatis.* Catechis. Roman. p.2. c.5.

Verum totum agmen ex Tridentino productum uno veluti halitu difflat fidelissima historia Concilii Tridentini supra laudata, ex quâ perspicuè colligitur Ioannis Æmiliani Hispalensis Tudetani Antistitis sententiam à censurâ immunem transivisse, prout sufficienter liquet ex illis, quæ Eximius P. Fervaquez in suo tractatu de mente Concilii Tridentini circa Attritionem ex gehennæ metu conceptam, deprompto ex historiâ Pallavicini citatâ, & ex aliis Tractatibus, quos postea idem Exim. Pater conscripsit pro illius Tractatus defensione. Cum enim formatum fuis-

ſet Decretum, in quo dicebatur Attritionem ex ſervili gehennæ metu ſufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ Conſtitutionem, ad inſtantiam Tudetani Antiſtitis decretum illud reformatum eſt illo modo quo jam exprimitur Seſſ. 14. cap. 4. idque ne officeret ejus doctrinæ: officeret autem maximè, ſi illius ſententiam Anathemate feriret.

Deinde quod in citatis verbis ex Tridentino Concilio non ſit condemnata illa ſententia, clariſſimâ ratione oſtendi poteſt. Ex eo enim quod jam remiſſa ſint peccata ante abſolutionem, nullo modo ſequitur quod effectus abſolutionis non ſit reconciliatio hominis cum Deo, abſolutio non ſit actus judicialis, & functio remittendi peccata: primò quia certum eſt ex fidelium praxi, quod peccata mortalia ſemel clavibus ſubjecta & directè abſoluta ſeu remiſſa iterum quis poſſit confiteri, abſque eo quod ullum novum ſuperaddat peccatum; an non tunc remiſſa ſunt peccata ante abſolutionem? Et tamen eo non obſtante effectus Abſolutionis tunc datæ eſt Reconciliatio hominis cum Deo, & abſolutio eſt actus judicialis, & functio Remittendi Peccata. Secundò aliquandò ſaltem pænitens perfectè eſt contritus antequam ad Sacramen-

tum

tum accedit & consequenter jam Remissionem peccatorum obtinuit. An in illo casu eo non obstante non manet effectus Sacramenti Pœnitentiæ Reconciliatio hominis cum Deo, & absolutio actus judicialis & functio Remittendi Peccata? *Si* ergò in istis casibus maneant, cur non manerent, licet semper forent peccata remissa.

Quomodo autem Sacramentum in illo casu remittat peccatum, insinuat in Concilio Tridentino Joannes Æmilianus. Cum enim dixisset cum Sacramento *opus esse Contritione perfectâ*, mox subjungit: *Nec tamen hinc argui per Sacramenta peccata non remitti, quippè quæ Sacramentum jam invenit remissa præeuntis Contritionis efficacitate. Si quidem ipsa Contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in eâ continetur.*

Deinde etiam à posteriori colligitur hanc sententiam à Tridentino non esse damnatam ex eo, quod, teste Morino, non tantum plurimi Theologi hanc sententiam docuerint ante Concilium Tridentinum, sed & viri graves & celebres eandem Doctrinam amplexi fuerint & propugnaverint post Concilium Tridentinum. Quorum aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, teste Eximio P. Feryaquez in vindiciis veritatis & Charitatis

De Pœnit. lib. 9. cap. 11, num. 8.

 Thesi

Thesi 4. inter quos numerat Petrum à Soto, Sonnium, Richardotum, & Fredericum Nauseam. Quis autem dicet, viros illos graves, celebres ac Doctos, quibus mens Concilii optimè perspecta fuit, docuisse sententiam à Concilio condemnatam?

Quantum autem ad Catechismi Romani authoritatem, licet illa indubiè magna sit ac major quam particularis alicujus Doctoris, equidem non est tanta quin impunè & citra notam censuræ liceat ab illâ dissentire, prout passim videmus varios authores contrarium ejus, quod in illo Catechismo docetur, defendere absque ullâ temeritatis notâ, præsertim quando aliundè magna authoritas contrarium suadet, prout hîc fit.

Ex hâc doctrinâ notandum hoc Corollarium deduci potest. 1. Quod si doctrina exigens Contritionem perfectam cum Sacramento Pœnitentiæ non sit condemnata à Concilio; multò minus proscripta sit illa sententia, quæ tantum requirit Attritionem ex aliquo Dei propter se, licet imperfecto, Amore, cujus contrarium quidam Recentiores sine ullo fundamento defenderunt antequam decretum Alexandri VII. anno 1667. prodiit, quod nostram sententiam, censurari prohibuit.

Dico

Dico 2. licet huic ſententiæ non deſit ſua probabilitas, tamen probabilius & verius judico non requiri Contritionem perfectam, quæ juſtificet priuſquam Sacramentum hoc actu ſuſcipiatur, cum Sacramento.

Ratio eſt quia ſi illa requireretur, jam pauciſſimi verè abſolverentur, cum perfecta illa Contritio raiò habeatur; *ut enim hoc concedamus*, inquit Catechiſmus Romanus, *Contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? At quoniam pauci ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à* PAUCISSIMIS *hâc viâ peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe fuit ut Clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret: quod quidem admirabili conſilio effecit cum claves regni cæleſtis Eccleſiæ tradidit.* p. 2. c. 5. n. 32. Et verè ſi judicium primitivæ Eccleſiæ, quæ à Chriſto, ejuſque Apoſtolis edocta & necdum tot vitiis prægravata, ſed magnâ adhuc Charitate flagrans optimè de fide & moribus judicavit conſulamus, clariſſimè videbimus tot ab ipſa fuiſſe poſtulata doloris ſigna, pœnitentiæ fructus tot lachrymas & gemitus, tot jejunia, humicubationes &c. ad condignam ſuorum peccatorum pœnitentiam & Abſo-

lutionem, ut ex illis ſatis colligatur quod non tam facilè quis veram ac perfectam ſuorum peccatorum Contritionem ac pænitentiam eliciat ac multi ſibi perſuadent. Unde Patres quandoque ita loquuntur quaſi talis Contritio nunquam, aut ferè nunquam, concipiatur, adeoque extra mortis articulum nunquam quis ſine actuali Sacramenti ſuſceptione & adminiculo ad juſtificationem pertingere poſſit; ſic S. Auguſtinus agens de Catechumenis qui etiam in aſſiduo jejunio, oratione, vigiliis cervicum inclinatione, aliiſque pœnitentiæ operibus illo tempore exercebantur, tamen dicit: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non illi dimittitur, niſi veniat ad baptiſmum.* Similia habet multis aliis in locis quæ infra expendemus.

Tract. 13. in Euangel. Ioan.

Ratio ſecunda eſt. Si abſolutio ſemper præſupponeret Contritionem juſtificantem, tunc Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet Sacramentum mortuorum, ſed vivorum, cum ſic foret inſtitutum à Chriſto ut non niſi à veris Chriſti membris ſuſcipi poſſet.

Ratio tertia eſt, Quod hæc ſententia videatur nimium eneruare vim & efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ, & propriè loquendo effectus hujus Sacramenti, quos

quos ipsi Tribuunt Concilium Florentinum & Tridentinum, revera ipsi non competerent si semper Pœnitentes deberent esse justificati antequam hoc Sacramentum actu suscipatur, tunc enim nunquam propriè loquendo hominem peccatorem Deo reconciliat, peccata dimittit, aditum in cælum aperit. Aliud est si Sacramentum pœnitentiæ ordinariè hoc faciat, licet per accidens in duobus casibus supra allatis non ita propriè tum hoc faciat.

Hinc cum quidam Theologus in libro à se edito docuisset: *Attritionem de peccatis insufficientem esse pro accipiendâ remissione Peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, Contritionemque ex Charitate perfecta esse ad id necessariam & Absolutionem Sacramentalem nihil aliud esse quam declarationem juridicam peccati jam remissi:* Facultas Theologica Parisiensis anno 1638. totum hoc hâc censura notavit: *Quæ tradit de Attritionis insufficientiâ, & Contritionis ex perfectâ Charitate absolutâ necessitate ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum: & quæ addit de Absolutione, quod nihil aliud sit quàm declaratio juridica peccati jam remissi; damnavit facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, Communi & omninò tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti pœnitentiæ imminutivas & insuper temerarias, ac erroneas.* Prout refert Isambertus disp. 14. de Sa-

cramento Pœnitentiæ art. 6. qui eidem censuræ interfuit & subscripsit, & ex illo Ludovicus Abellii in medulla Theologicâ part. 2. tract. 1. cap. 5.

## §. VIII.

*Proponitur sententia quæ in adultis, post promulgatam perfectè novam legem, extra casum martyrii, actualem Sacramenti susceptionem ita esse necessariam tenet, ut sine illa nullo modo è statu peccati ad statum gratiæ seu justificationis pertingere possint, & refertur de eâ SS. Patrum judicium.*

lib. 4. cap. 18. SEntentiam illam tempore S. Bernardi defendit Otto Frisingensis Episcopus in generali totius mundi historiâ, & cum ipso varii alii antiqui eandem docuerunt sententiam, & circa illam acriter olim disputatum fuit inter Patres. Verum contrariam sententiam olim clarè docuerunt S. Ambrosius de obitu Valentiniani secundi Imperatoris qui ab ipso Catecumenus factus antequam gratiam Baptismi perciperet morte præventus est, & S. Augustinus, cumque utriusque authoritatem

tem adferat S. Bernardus, ejus judicium circa hanc quæſtionem hic adferemus, ſcribens ergo ad Hugonem de S. victore contra prædictum Ottonem Friſingenſem Epiſcopum ait; *In majori ætate quiſquis poſt vulgatum ubique Baptiſmi remedium renuit jam Baptizari, generali originalique maculæ addit & ex proprio crimen ſuperbiæ, duplicem ſecum portans juſtiſſimæ damnationis cauſam, ſi ſic de de corpore exire contigerit. Tamen ſi ante exitum reſipuerit, & voluerit & petierit Baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, Charitas ſincera, propitius ſit mihi Deus, quia huic ego ob ſolam aquam ſi defuerit, nequaquam omninò poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere ſpem, nec excidere Charitatem, tantum ſi aquam non contemptus, ſed ſola (ut dixi) prohibeat impoſſibilitas. Si quis aliter ſapit, viderit inde ſibi, quod aſſerit, perſuaſerit, nam me non facile fateor aſſentire, ſi non firmior induxerit vel ratio ad intelligendum, vel ad credendum Authoritas.*

Epiſt. 77. habetur in edit. Colon. tom. 4.

*Sed miror Admodum, ſi novus iſte novarum inventarum aſſertionum, & aſſertor inventionum, invenire in hoc rationem potuerit quæ ſanctos Patres latuerit Ambroſium & Auguſtinum, ſive auctoritatem eorumdem auctoritate potiorem. Nam ſi neſcit uterque idem profectò ſenſit, quod fatemur ſentire & nos. Librum certè Ambroſii de morte Valentiniani legat ſi non legit; recolat ſi jam legit; non diſſimulet ſi recolit;*

*&*

*& advertet sine dubio Sanctum homini non Baptizato & mortuo fidenter de solâ fide salutem præsumere., & tribuere indubitanter bonæ voluntati,*
lib. 4. contra Donat. cap. 22. *quod defuit facultati. Legat & Augustini contra Donatistas de unico baptismo librum quartum, & se vel agnoscat imprudenter deceptum vel probet impudenter obstinatum.* Baptismi, *inquit*, vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum
Lucæ.23. est: hodie mecum eris in paradiso: Beatus Cyprianus non leve documentum assumit. *Et addit.* Quod etiam atque etiam considerans, invenio, *inquit*, non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat posse suppleri, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. *Et infra.* Quantum itaque, *ait*, valeat etiam sine visibili Sacramento Ba-
Rom. 10. ptismi, quod ait Apostolus: corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc, *inquit*, impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessi-
lib. 2. Retract. cap. 18. & 55. tatis excludit. *Et quidem non ignoro retractare ipsum id quod posuerat testimonium de latrone, minusque idoneum ad comprobandam illam sententiam confiteri, eo quod sanè incertum sit utrumnam*

*fuerit*

87

*fuerit baptizatus. Cæterum sententiam & audacter prosequitur, & multipliciter confirmat, nec uspiam (nisi fallor) retractasse reperies. Item in alio loco Augustinus, cum aliquos præmisisset, quos scriptura commemorat invisibiliter quidem, non tamen etiam visibiliter sanctificatos, tandem infert:* ex his colligitur aut invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse sine visibilibus Sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, & alia modo sint. *Et paulo post.* Nec tamen, *inquit*, visibile Sacramentum omninò contemnendum, nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari non potest. *Ubi satis evidenter ostendit fidelem & conversum ad Dominum, non si nequiverit, sed si contempserit baptizari, fructu privari baptismatis.*

lib. 3. q. q. in Levit. c. 84.

*Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor & Ambrosium) crede mihi difficile avellor Cum his inquam, me aut errare aut sapere fateor: credens & ipse solâ fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi Sacramentum: si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quacumque vis invincibilis obviarit.*

Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est ratio teste eodem Mellifluo Ecclesiæ Doctore cum ait: *Si forte peccator verè pœniteat sed intercurrente articulo necessitatis, ad confessionem pervenire non possit:*

In meditationibus cap. 9. tom. 5.

*sit: confidenter credere debemus, quod summus Sacerdos complet in eo quod mortalis non potuit. Et jam apud Deum factum constat, quod homo quidem verè voluit, sed non valuit adimplere, quia confessionem non contemptus exclusit, sed impedivit necessitas.*

Hæc fuit Antiquorum probabilior sententia quæ jam apud Orthodoxos indubitata est, quam & olim varia Concilia validè confirmarunt sic synodus quarta
cap. 79. Carthaginensis ait: *Pœnitentes, qui attentè leges Pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus*
cap. 2. *commendetur.* & prima vasensis: *Pro his qui Pœnitentiâ accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine Communione inopinato nonnunquam transitu in agris aut itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam & eorum funera ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam.* Nec refert quod Consilium ibi tantum dicat Sine Communione, quia nihil certius illi qui vel à limine SS.Patres salutavit quam quod illi per *Communionem* sæpius intelligant *Sacramentalem Absolutionem* prout observat Eminentissimus Cardinalis Bona vir in antiquitate & Theologia verè Eminentissimus, in suo doctissimo libro de rebus Liturgicis lib. 2. cap. 8. & etiam novissime Eximius Dominus ac M. N. Gummarus

Gummarus Huygens in Apologiâ pro ſuâ Methodo §. 3. Unde & abſolutionem in vitæ extremo *Datum viaticum* vocat Nycena Synodus, dum ſanxcit, *ut ſi quis egreditur de corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur.* Per Communionem ergo vaſenſis Synodus citata intelligit Sacramentalem Abſolutionem; agit enim ibidem de illo, qui, uti habuit veteris Eccleſiæ praxis, ſuam peragebat ſatisfactionem ante Abſolutionem & tempore pænitentiæ ſeu ſatisfactionis fortuitò nondum acquiſitâ Sacramentali Abſolutione ex hâc vitâ decedit; ſatisfactionem enim olim fuiſſe præmiſſam Sacramentali Abſolutioni, non, niſi qui in Antiquitate peregrinus eſt ignorat & luculentè probat mox laudatus D. Huygens Apologiæ ſuæ §. 2.

## §. IX.

*Proponitur ſententia eorum qui extra caſum martyrii & articulum mortis numquam de facto aliquem juſtificari aſſerunt ſine actuali ſacramenti perceptione, & fertur de illa judicium.*

IN præcedenti §. vidimus veriorem ac modo certam Patrum Doctrinam eſſe in

in caſu martyrii ac articuli mortis hominem ſolâ perfectâ Charitate cum Sacramenti voto poſſe juſtificari, verum quid extra illos caſus fiat gravior inter Patres fuit disceptatio; & quidem SS. Patres multum videntur inclinari in illam ſententiam quod ſine juncto concurſu Contritionis & Sacramenti nemo regulariter juſtificetur, ut loquitur Eximius P. Lupus Doctor Lovanienſis vir in Canonibus; SS. Patribus ac Antiquitate neſcio an ulli ſecundus in ſua diſſertatione dogmaticâ de Contritione & Attritione cap. 7. nam S. Aug. agens de Catechumenis divinâ Charitate flagrantibus, qui mirè in Pœnitentiæ operibus ſe exercebant, omnia ſua pauperibus erogabant, ſæculo renuntiabant & Monachatum arripiebant & multa pro nomine Chriſti patiebantur

Tract. 4. inEuang. Ioan. tamen de illis dicit: *Omnia peccata ſuper illos ſunt, & niſi venerint ad ſalutarem Baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum omni ſuâ excellentia non poſſunt intrare in regnum cælorum.* Et iterum.

Tract. 13. in Euang. Ioan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat, non illi dimittitur, niſi venerit ad Baptiſmum.* Unde & de ſemetipſo, quem tamen divinâ dilectione & Peccatorum Contritione inſigniter ante Baptiſmum arſiſſe ex propriâ ejus con-

lib. 9. Confeſſ. cap. 4. feſſione ſcimus dicit: *illa me ſæcurum non fa-*

*ciebat*

*faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptiſmum tuum remiſſa nondum erant.* Et antea cap. 2. ejuſdem libri: *Nonne & hoc peccatum cum cæteris horrendis & funereis in aquâ ſanctâ ignoviſti & remiſiſti mihi?* Rationem à priori hujus ſententiæ dat S. Auguſtinus quando aſſerens cordis converſionem & baptiſmatis Sacramentum eſſe duas invicem neceſſarias humanæ juſtificationis concauſas dicit: *Alterum ſine altero parum eſt, utrumque perficit æternæ* poſſeſſionis *hæredem.* Et in libro de unitate Eccleſiæ cap. 22. *Vtrumque neceſſarium eſt ad Dei regnum capeſſendum, & baptiſmus & juſtitia.* Et Tertullianus in libro de Baptiſmo cap. 13. *Vbi fides aucta eſt credendi in Nativitatem, Paſſionem, Reſurrectionemque* Chriſti Domini, *addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio baptiſmi, veſtimentum quodammodo fidei, quæ retrò* in Antiquo Teſtamento, *erat nuda, nec poteſt jam* juſtificare *ſine ſuâ* additi Baptiſmi *lege.* Hæc & plura alia congerit ibidem citatus Eximius Pater.

lib. 4. de Baptiſmo contra Donat. cap. 21.

Quid nobis hâc in ſententiâ videatur breviter declarabo. Unde.

Dico 1. Juxta ſupradicta 5. Contritio perfecta quandocunque elicita reconciliat hominem peccatorem Deo.

Dico 2. Poteſt haberi extra articulum mortis & caſum martyrii Contritio per-

fecta, & consequenter justificatio. Liquet etiam ex dictis, quia omnino indubitatum est quod in veteri lege sæpius fuerit elicita extra casum martyrii aut articuli mortis Contritio ex Charitate perfecta hominem mox Deo reconcilians, ergo & in lege nova, in quâ Deus abundantius in fideles effundit suæ gratiæ & Charitatis thesauros, eadem Contritio haberi potest extra illos casus, nam *non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat.* Si habeatur extra illos casus Contritio perfecta, ergo & justificatio, institutio enim Sacramenti non abstulit Contritioni illam efficaciam, quam ante habuit, mox justificandi peccatorem, sed tantum hoc effecit ut sine illo vel ejus voto Contritio perfecta haberi non possit quod votum in omni Contritione perfectâ saltem implicite includitur. Confirmationem hujus vide in §.

Isaia 59.

Confirmatur hæc sententia exemplo S. Martini, qui videtur justificatus extra illos casus ante actualem Baptismi perceptionem, quando illum heroicum charitatis erga proximum actum propter Deum elicuit, dando pauperi mediam chlamydis suæ partem, quantum enim actio illa Deo placita fuit, ostendit, quando teste S. Bernardo *misericordiam ejus in*

In Serm. de S. Martino.

*in paupere se expertum Salvator ipse apud Angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans.* Et quando *Christus Martino sequenti nocte* post factum *dimidiatâ illâ veste indutus apparuit, hanc mittens vocem: Martinus Catechumenus hâc me veste contexit.* Quod & in aliis Catechumenis fuisse factum mihi certò persuadeo & in S. Augustino factum puto; cum tamen paucissimi ad illam Charitatis perfectionem Catechumeni pervenirent, nullique sine speciali Dei revelatione certò constare possit se ad talem Charitatis perfectionem pervenisse, meritò S. Augustinus dixit quod illa Charitas, quam in se experiebatur, *se securum non faciebat de præteritis peccatis suis quæ ipsi per baptismum nondum remissa erant.* Quodque *postquam Baptizatus esset fugerit ab ipso sollicitudo vitæ præteritæ.* Securiori enim indubiè modo per actualis Sacramenti auxilium quis peccatorum remissionem acquirit, quam per solam Contritionem.

Confirmatur 2. Quando Pontifices hanc proscripserunt propositionem: *per Contritionem etiam cum Charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramentorum*, indubiè supposuerunt talem Contritionem cum Sacramenti voto extra illos casus dari

posse, cum alias frustra illam propositionem condemnassent, si dari tunc possit, etiam tunc justificat: ut ex dictis constat.

Confirmatur 3. Quia loca S. Scripturæ, SS. Patrum & Concilii Tridentini quæ insinuant Contritionem perfectam justificare non restringunt ad casum martyrii aut articuli mortis, sed absolutè, generaliter & indeterminatè loquuntur ergo & nos illa dicta restringere non debemus. Et quantum ad Tridentinum quando illud dicit: *Docet præterea etsi Contritionem hanc aliquandò Charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam Sacramentum hoc actu suscipiatur*: Tunc illa particula, *quandò*, non afficit vocem, *reconciliare*, sic ut sensus sit, Contritionem hanc Charitate perfectam esse contingit, tuncque aliquando hominem justificare seu reconciliare Deo; sed afficit illas particulas, *Charitate perfectam esse contingit*, sic ut sit sensus: contingit Contritionem hanc, antea à Tridentino descriptam in initio capitis quarti, aliquando Charitate perfectam esse, tuncque hominem Deo reconciliare, quandocumque hoc fit.

Seff. 14. cap. 4.

Seff. 13. cap. 7.

Confirmatur 4. Quia Tridentinum permittit Sacerdotibus in mortali peccato existentibus si illis desit copia confessoris urgente necessitate celebrare Missam modo

do præviè conati fuerint elicere perfectam Contritionem, ergo Patres Concilii judicarunt quod per illam Contritionem tunc, saltem aliquandò, justificationis gratiam obtinere possent, cum scirent ad hoc Sacrosanctum & divinissimum Sacramentum quod ipsum puritatis fontem in se concludit, non nisi sanctè cum magna puritate esse accedendum, hoc enim antea insinuat Concilium quandò in initio citati capitis dicit: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & divinitas cælestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet ne absque magnâ reverentiâ & sanctitate ad id percipiendum accedat &c.* De reliquo si ad illam perfectionem multi non pertingant, piè præsumit Ecclesia illos consecuturos illo spirituali & vivificante cibo justificationis gratiam; Eucharistiam enim quandoque per accidens conferre primam gratiam Antiquissima est Theologia alibi probanda.

Nec refert quod Concilium ibidem dicat: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam, ut nullus sibi conscius mortalis peccati,* QUAMTUMVIS SIBI CONTRITUS *videatur, absque præmissâ Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat ...... modo non desit illis copia confessoris.* Sess. 13. cap. 7.

 Non

Non enim hoc dixit Concilium quasi judicet, tunc quantumcunque perfectam Contritionem non justificare ante Absolutionem, contrarium enim Sessione sequenti manifestè tradit; sed quia Concilium bene scivit *aliquandò* tantum, seu raro, quempiam sic perfectè esse Contritum ut Deo sit per illam reconciliatus, priusquam Sacramentum hoc actu suscipiatur, ut cum majori reverentiâ & sanctitate accederent ad hoc cæleste Sacramentum, voluit ut securissimo modo se prius Deo reconcilient antequam divinum hoc Sacramentum audeant accipere. Deinde si semel permitteretur Sacerdotibus in mortale lapsis celebrare sine præviâ confessione quando sibi contriti videntur; jam passim in mortali peccato celebrarent, cum quilibet, statim ac pium aliquem erga Deum affectum in se experiretur, judicaret se esse Contritum, sicque in statu mortalis peccati celebraret imo multi putarent se esse debitè Contritos qui tamen nullum supernaturalem doloris actum haberent, sed tantummodo naturalem ex amore proprio qui ubique subtiliter se ingerere conatur, vel ob infamiam quam per peccatum incurrerunt, vel ob damnum quod passi sunt, vel aliud motivum quod ipsos quandoque usque ad

Sess. 14. cap. 4.

ad lachrymas movet. Unde ut ille abusus vitetur voluit Tridentina Synodus, ut quamtumvis sibi Contriti videantur, peccatorum tamen Sacramentalem confessionem instituerent, ut sic certiores sint de dignâ sui dispositione; præsertim cum nullus possit habere nimiam, imo nec Sacramenti hujus reverentiæ congruam ac proportionatam dispositionem. Ob quas rationes ego judico jure divino naturali in illo casu ad Confessionem obligari Sacerdotem, cum ratio naturalis dictet peccatorem securissimo modo, moraliter hic & nunc possibili, se debere ponere in statu gratiæ antequam ad hoc divinissimum Sacramentum accedat ne se exponat periculo indignè tractandi hoc Sacramentum; imo id etiam fieri debere ab omnibus qui aliquod Sacramentum vivorum volunt suscipere maximè judico probabile.

Quantum ad mentem SS. Patrum fateor parum stricte hâc in re loquuntur idque variis de causis.

Primo ad inculcandam Sacramentorum novæ legis necessitatem, quæ, fateor, major est quam multi sibi persuadent.

Secundò quia judicarunt raro peccatores pertingere ad Contritionem perfe-

ctam ex Charitate perfectâ procedentem, adeoque regulariter illos demum consequi peccatorum remissionem quando actu suscipiunt Sacramentum, non enim solet Deus simul infundere peccatori adhuc cæno peccatorum inhærenti perfectam Charitatem, sed primò imperfectam, quâ ipsum instigat ad condignam peccatorum pænitentiam peragendam, quâ sensim & sensim eò magis incipit crescere Dei Charitas, quo plus decrescit mundi cupiditas. Quis autem nescit quam multa requisiverit primitiva Ecclesia ad congruam & crimini proportionatam pœnitentiam? Tam multa ut dicat S. Ambrosius: *Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congruè egerint pænitentiam.* Sine quâ pœnitentiâ nullus ad justificationis gratiam ordinariè pervenire potest, minor autem pœnitentia adhuc requiritur cum Sacramento quam sine Sacramento.

lib. 2. de Pœnit. cap. 10.

Tertio ad reprimendam quorumdam negligentiam, qui ubi aliquales in Charitate progressus fecerant negligebant, & contemnebant Sacramenta; & consequenter ad excitandum majus desiderium & ferventius illa suscipiendi votum, & conciliandam majorem erga Sacramenta reverentiam.

Ob

Ob hanc ultimam causam dixit S. Aug. supra: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum.* Quod enim ibidem S. Pater agat contra illos qui culpabiliter negligebant, adeoque & virtualiter contemnebant Baptismi Sacramentum, ex antecedentibus fit manifestum: parum enim antea petit: *Quare baptizabat Ioannes? Quia oportebat ut Dominus baptizaretur. Quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Quia* MULTI CONTEMPTURI ERANT BAPTISMUM, *eo quod jam majori gratia præditi viderentur, quam viderent alios fideles. Verbi gratia, conjugatus jam continenter vivens Catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret se meliorem, cum ille sit fidelis. Ille Catechumenus potest dicere in corde suo,* QUID MIHI OPUS EST BAPTISMUM ACCIPERE *ut hoc habeam quod & iste quo jam melior sum? ...... Ad hoc autem viam præbuit Dominus noster Iesus Christus, sicut audistis fratres, ne quis arrogans quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari baptismo Domini. Quantumcunque enim Catechumenus proficiat, &c.*

Tract. 13. in Euang. Ioan.

Ibidem.

Eodem modo & alia ejus loca explicanda sunt. Vide lib. 4. de Baptismo cap. 22.

Quantum ad rationem quam pro contrariâ sententiâ dare videntur SS. Patres,

quod scilicet sine juncto utriusque concursu Contritionis & Sacramenti nullus justificari possit ; ad illam dicendum id regulariter esse verum, cum rarò Contritio perfecta, sine Sacramenti adminiculo justificans, habeatur ; secundo explicari potest de Sacramento in re vel in voto suscepto ; cumque haberi non possit votum baptismi quando præsens datur commoda baptismi copia, actualis illius perceptio planè tunc est necessaria, quod patebit ex §. sequenti.

Solutiones locorum SS. Patrum jam datæ non debent alicui contortæ videri, videmus enim quomodo aliquando & aliorum Sacramentorum necessitatem exaggerent ; quantum enim ad Augustinum quandoque docere videtur ita necessariam esse actualem Sacramenti Eucharistiæ perceptionem, ut quidam ei affingere conentur illum errorem quod & parvuli sine Eucharistiæ perceptione salvari nequeant. notus enim est Augustino aliisque Patribus nimium injurius, qui ait. *Sanè qui Augustini opiniones omnes tuendas susceperit, is ubi ad rem ventum erit, vadimonium deserat necesse est, uti in illâ de Eucharistiâ parvulis ad salutem necessariâ, quam aliorsum trahere frustra magni viri conantur ; non enim inficiari jure quisquam poterit summum Doctorem ita sensisse.* Non

jam vacat petulantis illud ingenii judicium & injuſtam cenſuram refellere, & *ſummum Doctorem*, prout ipſum vocare coactus fuit, ab illo vindicare errore, verum illud jam olim fecit fideliſſimus ejus diſcipulus S. Fulgentius libro de Baptiſmo Æthiopis.

Quod autem & S. Auguſtinus non ita planè omnimodè neceſſariam judicaverit, extra articulum mortis & martyrii caſum, actualem Baptiſmatis ſuſceptionem, liquet ex illis quæ habet in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, præſertim lib. 4. c. 21. ubi tradit Cornelium Centurionem ante perceptam baptiſma fuiſſe juſtificatum, cum ait: *Iſte enim & ante baptiſmum ſancto Spiritu repletus eſt.* Et cap. 24. *Cornelius etiam dono Spiritus ſancti priuſquam baptizaretur ditatus eſt.*

## §. X.

*Proponitur ſententia quæ docet quod quando adeſt copia Confeſſarii Contritio perfecta non juſtificet ſine reali ſuſceptione Sacramenti, & conſequenter nec Charitas perfecta, & fertur de illâ judicium.*

Ratio hujus ſententiæ eſt quod Contritio perfecta in novâ lege tantum juſti-

justificet ratione voti suscipiendi Sacramentum, uti colligi potest ex Tridentino dicente, *Etsi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum hoc actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Jam vero qui non suscipit Sacramentum, quando adest facultas illud suscipiendi, non habet serium propositum suscipiendi Sacramentum.

Seff. 14. cap. 4.

Confirmatur quia Tridentinum justificationem adscribit voto Sacramenti tanquam subsidiario & operanti in defectu Sacramenti, quod subsidium non habet locum quando est in præsenti facultas suscipiendi Sacramentum propter copiam Confessarii, sicuti votum Baptismi non conferret gratiam justificationis, si adesset plena facultas suscipiendi Baptismum, & Catechumenus illâ facultate non uteretur.

Unde tenent istius sententiæ patroni tanquam generaliter verum, quod votum Sacramenti non operetur effectum Sacramenti, quando adest præsens facultas & commoditas suscipiendi Sacramentum & non suscipitur.

Verum & hæc sententia mihi non placet

cet neque ſufficienter mihi fundata videtur cur enim non poſſum habere ſerium propoſitum & votum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ etiam tunc quando adeſt copia Confeſſarii & adeſt facultas illud Sacramentum ſuſcipiendi? poſſum enim habere efficax propoſitum & votum ſuſcipiendi illud Sacramentum quandò urgebit me præceptum illud ſuſcipiendi; ſicuti poſſum habere votum & propoſitum ſerium ingrediendi religionem, ubi tamen jam datur facultas plena illam ingrediendi, ſic tamen ut jam adhuc nolim ingredi, ſed demum poſt aliquot dies vel menſes.

Aliud foret ſi tunc, quando elicitur Contritio & ad eſt facultas ſuſcipiendi Sacramentum, obligaret præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum, tunc enim ſi nollem illud ſuſcipere, rectè dicitur me non habere ejus votum & ſerium propoſitum, ſi enim hoc haberem indubiè ſuſciperem illud quando commode poſſum & debeo illud ſuſcipere. Deinde quando eſt obligatio illud ſuſcipiendi & non ſuſcipitur, mortaliter delinquitur, cum quo peccato vera Contritio perfecta conſiſtere nequit. Unde benè dicit Mellifluus Doctor: *Sicut nullâ illi Pœnitentiâ remittitur peccatum, ſi cum poſſit, non reſtituit ablatum, ſic & huic nulla proderit* Epiſt. 77. cap. 2. circa finem.

*derit fides, si cum possit non percipit Sacramentum* Baptismi, tunc enim indubiè illud suscipere obligatur. *Quamquam & fidem convincitur non habere perfectam, si negligit. vera enim & plena fides universa præcepta complectitur. Est autem hoc unum ipsumque præcipuum ex præceptis. Meritò ergo non fidelis, sed planè rebellis atque contemptor reputabitur quisquis obedire renuerit. Quomodo denique fidelis, qui Dei contemnit Sacramentum?*

Hinc patet quod generalis illa regula ab Authoribus contrariæ sententiæ allegata hoc modo debeat limitari: votum Sacramenti non operatur effectum Sacramenti quando adest præsens facultas & commoditas suscipiendi Sacramentum & urget præceptum illud suscipiendi, & non suscipitur. Ratio patet ex dictis, quia tunc à posteriori clarissimè evincitur non adesse efficax propositum & serium votum illud suscipiendi; sicuti omnes dicerent illum non habere efficax votum & serium propositum eundi Bruxellas, si jam commode possit & debeat ire Bruxellas, & non vult.

Deinde quod dicatur Contritionem perfectam in novâ lege tantum justificare ratione voti suscipiendi Sacramentum etiam sano modo intelligendum est, non enim dicit Concilium *quod soli Sacramenti*

*voto*

*voto reconciliatio sit adscribenda*, sed tantum quod *Contritioni non sit adscribenda sine Sacramenti voto*, quæ verba Concilii in rigore vera forent; licet votum Sacramenti non foret justificationis causa; sicuti, licet dicamus Contritionem perfectam non justificare, sine firmo proposito adimplendi omnia Dei præcepta, per hoc non insinuamus, propositum hoc esse justificationis causam, sed tantum conditionem sine qua non fit justificatio. Et indubie ipsa Contritio vi sua habet efficaciam reconciliandi hominem Deo.

Secundo vel potest haberi Contritio ex Charitate perfecta illo tempore quo adest facultas suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & non suscipitur, vel non? Si dicas quod tunc Contritio perfecta haberi non possit, frustra instituitur quæstio an illa Contritio tunc justificet necne, cum Contritio tunc ex illo supposito haberi non possit: secundò ostendenda est repugnantia in eo quod illo tempore peccator eliceret perfectam Contritionem cum juxta dicta possit tunc habere votum efficax Sacramentum postea suscipiendi, & jam non obligetur actualiter illud suscipere. Si dicas quod possit tunc haberi, ergo juxta supra dicta mox justificabit antequam Sacramentum actu suscipiatur

cipiatur

cipiatur, quia *alias Charitas perfecta*, quam includit illa Contritio, *Potest consistere cum reatu æternæ damnationis*. Quod tamen à Pio V. & Gregorio XIII. proscriptum est, si enim non justificaret sine reali susceptione Sacramenti, & jam habeatur antequam Sacramentum actu suscipiatur ergo existens in mortali peccato, quod nondum per Absolutionem remissum est, habet illam Contritionem, & retinet donec absolvatur, si habeat in mortali, ergo & cum reatu æternæ damnationis, quod mihi videtur nimium detrahere excellentiæ & efficaciæ Contritionis ac Charitatis perfectæ, & non benè consistere cum illo S. Scripturæ oraculo, Ezech. cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque Die conversus fuerit ad impietate sua*. Quia teste Proverb. 22. Scripturâ *universa delicta operit Charitas*.

## §. XI.

### *Proponitur mens Authoris de sufficienti & requisito Dei propter se amore cum Sacramento.*

FAcilius quidem est in hac difficultate alienas sententias destruere ac refutare, quam propriam bene stabilire, ne tamen lectorem dubium & incertum relin-

linquamus circa mentem nostram illam paucis declaro.

Dico ergo mihi in primis certum videtur cum Sacramento requiri prædominantem Dei propter se amorem.

Probatur quia Deus exigit à pœnitentibus conversionem ex toto corde, uti ex adductis SS. Patrum locis patet; quis autem dicet illum se ex toto corde seu toto affectu convertere ad Deum qui prædominantem creaturæ amorem in corde suo nonhabet? quem indubiè habebit si in ipso non regnet seu prædominetur Dei amor, alteruter enim amor in corde hominis debet prædominari aut creatoris aut creaturæ juxta illud famosum S. Augustini Axioma: *Regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei Charitas.* Enchir. cap. 117. vel ut loquitur S. Augustinus variis in locis, aut Charitas aut cupiditas, prout late ostendimus in prima parte nostri Tyrocinii tract. 1. cap. 4. §. 1. *Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi*, ait, S. Leo, prout vel Dei vel mundi in ipso prædominatur amor. Quod si cupiditas aut mundi amor in aliquo prædominetur indubie magis ad creaturam quam ad Deum conversus est, cum ad illud convertamur quod propter se amamus, quod si magis ad creatu-

Serm. 5. de Iejunio 7. Mensis.

ram quam creatorem ſimus converſi, quomodo rectè dicemur ex toto corde ad Deum converſi? Illud tamen cum exigat vera cum Sacramento pænitentia ſeu Attritio, manifeſtè ſequitur nos ad minus, magis ad creatorem quam creaturam debere eſſe converſos, adeoque in nobis debere prædominari Dei amorem.

Secundò probatur ex hiſce S. Scripturæ locis: *Qui amat Patrem aut matrem plusquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Idem eſt de aliis creaturis. *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus*, & ſimilibus, Ergo requiritur ut quis ſit Deo dignus, & poſſit eſſe ejus diſcipulus, ut habeat prædominantem in ſe Dei amorem, ſic ut de facto, quando ſe ad Deum convertit, non habeat majorem erga ullam creaturam, quam creatorem amorem. Si enim haberet majorem erga creaturam quam creatorem, de facto plus amaret creaturam quam creatorem adeoque Deo non eſt dignus, nec poteſt ejus eſſe diſcipulus, nec mirum cum manifeſtè impingat in primum & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ.* Item in illud: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Adeoque *ſi quis diligit mundum, non eſt Charitas*

*Math.* 10.

*Math.* 22.

1. *Ioan. cap.* 2.

*Ibidem.*

*Charitas Patris in eo.* Nam & hoc ſolo mortaliter Deum offendit cum reverà magis æſtimaret creaturam quam creatorem, quod cum verâ pœnitentis ad Deum converſione conſiſtere nequit.

Tertiò ſi illo tempore quo peccator ſe ad Deum convertit & jam abſolvitur, prædominetur in homine adhuc amor creaturæ, quomodo excluſa eſt voluntas peccandi? Cum illa adhæſio per amorem ad creaturam ſit peccatum, nam teſte S. Auguſtino *jubet lex æterna avertere amorem à temporalibus, & illum convertere ad æterna,* & conſequenter tranſgreditur illam legem qui adhuc amore ſuo, & quidem prædominante, adhæret temporalibus, cujus legis æternæ tranſgreſſio indubiè eſt peccatum. lib. 1. de libero arb. cap. 15.

Quartò Patet ex omnibus illis SS. Patrum locis quæ exigunt ab homine ut ſemper in illo prædominetur Dei amor; ſi enim ſemper debeat habere illum prædominantem Dei amorem, ergo tum maximè quando jam Deum odio habuit, & ſe vult reconciliare Deo. Quod autem ſemper debeat habere illum prædominantem Dei amorem latius alibi demonſtravimus, & liquet clariſſimè ex illis quæ habet S. Franciſcus Saleſius lib. 10. de Amore Dei cap. 6. ubi ait: *Eſt amor qui om-*

*nes amores debet excellere, & regnare super omnes nostras passiones, & hoc est quod à nobis Deus requirit, ut inter omnes amores divinus præcipuum in corde locum obtineat, ut toti nimirum dominetur cordi; ut ille dilectissimus sit, totum videlicet animum possidens, ut latissimè regnet, omnes nimirum facultates sibi mancipans ...... Hic amor omnibus & singulis hominibus generatim præcipitur, & hoc quam primum ad rationis usum pervenerunt, singulis sufficiens, omnibus necessarius.* Vide S. Aug. lib. 1. de doctrinâ Christianâ cap. 22. verum illud latius alibi probabimus.

## §. XII.

### *An ille prædominans Dei amor sit Dei super omnia & perfectus amor?*

Sit ergo & hoc fixum requiri ad Attritionem sufficientem cum Sacramento ad justificationem Amorem Dei prædominantem; nunc gravis oritur difficultas qualis sit ille prædominans Dei amor & an̄ talis non sit Dei super omnia ac perfectus amor? Ad quam difficultatem respondeo talem prædominantem Dei amorem non semper esse Dei perfectum amorem, hominem sine Sacramenti actuali adminiculo justificantem.

Ratio est quia perfectus Dei amor non indiget

indiget adjuvari motivo pœnarum ad hoc ut voluntatem peccandi excludat, cum se solo omnem malum ac graviter inordinatam creaturæ cupiditatem superet & excludat, & nullo modo cum ipsâ subsistere possit. At prædominans noster amor sæpissime dumtaxat imperfectus est ac imbecillis, qui metus pœnarum indiget auxilio adhoc ut voluntatem peccandi excludat, & abstrahat hominis affectum à creaturis, quibus per peccatum affixus erat, & ad Deum convertat.

Ut autem hoc melius percipiatur benè notandum est duos esse fontes ac radices actionum nostrarum nempe cupiditatem & Charitatem prout latius ex Communi SS. Patrum Consensu ostendi in nostro Tyrocinio loco §. præcedenti citato. Duo autem illi fontes & origines planè sunt oppositi, sic ut si regnet Charitas destruatur ferè penitus cupiditas, & è contra; & quantum augetur Charitas, tantum decrescat cupiditas. Est hæc clarissima S. Augustini variis in locis doctrina, *Quanto magis*, inquit, *regnum cupiditatis destruitur, tantò magis regnum Charitatis augetur*. Et iterum; *Charitatis venenum est cupiditas. Nutrimentum ejus diminutio cupiditatis.* Unde sicuti *regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei Charitas*, ita ubi non est cupiditas Enchir. cap. 117.

 regnat

regnat Dei Charitas, quâ regnante destruitur cupiditas, eò magis, quò plenius dominatur Dei Charita, sic ut dicat S. Augustinus: *perfecta Charitas nec cupiditatem habet sæculi nec timorem.* At si amor Dei sit imperfectus seu imperfecta Charitas, & adsit in peccatore in mortali peccato constituto magna cupiditas, prout semper in tali peccatore adest, cum illa cupiditate expellatur Charitas antea dominans, tunc ille amor Dei imperfectus seu Charitas imperfecta nondum satis robusta est nec se solâ sufficiens ad vincendam illam magnam cupiditatem, adeoque indiget auxilio timoris gehennæ, quo illa cupiditas multum minuitur, sic ut post illum metum amplius solum maneat in ratione simplicis velleitatis quâ vellet adhærere inordinatè creaturæ si posset impunè, quæ parva restans cupiditas facile ab exiguâ superatur Charitate, quæ reverà tunc in homine prædominatur.

lib. de Agone Christ. cap. 33.

Unde ulterius dico illum Dei propter se imperfectum amorem esse tunc quidem amorem Dei super omnia cum, de facto post efficacem gehennæ timorem conceptum non habeat amplius efficacem cupiditatem seu absolutum creaturæ propter se amorem, sed tantum velleitatem jam dictam, quam expellit aliquousque efficax

efficax & abſolutus Dei propter ſeamor tunc dominans, ſed hoc mere eſt per accidens, neque ſoli illi Dei imperfecto amori imputandum, cum priorem abſolutam & efficacem cupiditatem, quâ peccator adhærebat creaturæ, non ſuperaſſet, adeoque non fuiſſet prædominans, ſi timoris auxilium conjunctum ſibi non habuiſſet, cui timoris adjutorio pro magnâ parte imputandum eſt, cum timor ille tantum diminuat de cupiditate ut jam ſuperet illa Charitas, adeoque fiat prædominans, quæ ſine illo non viciſſet cupiditatem, adeoque ſub dominante cupiditate adhuc gemere debuiſſet.

Valde ergo imbecillis, debilis, & imperfecta eſt illa Dei prædominans Charitas quæ fortiori mundi cupiditati ſuccumberet, niſi gehennæ timorem ſibi auxiliantem habetet conjunctum, qui cum Charitate ſuperat hoſtem cupiditatis, quam ſe ſolâ Charitas vincere non potuiſſet, quod cum perfecta Charitas, quæ foras mittit timorem, facere poſſet, ſequitur illam Charitatem, non eſſe perfectam Charitatem, nec celebrem Dei ſuper omnia amorem, qui ſecundum SS. Auguſtinum & Proſperum: *Faciat Ieruſalem ſeu civitatem cæleſtem uſque ad contemptum ſui*: & conſequenter aliarum

 creatu-

creaturarum quas propter ſe ultimatè amat, quando illas in Deo & propter Deum non diliget.

Sit ergo & hoc fixum non omnem Dei propter ſe amorem prædominantem eſſe celebrem Dei ſuper omnia amorem, vel Dei perfectum amorem, & conſequenter non omnem Dei prædominantem amorem eſſe juſtificantem.

Ut autem & hoc melius intelligatur notanda ſunt illa S. Auguſtini verba: *Numquid mox ut naſcitur Charitas jam prorſus perfecta eſt? Ut perficiatur naſcitur; cum fuerit nata nutritur; cùm fuerit nutrita roboratur; cum fuerit roborata perficitur. Cum ad perfectionem venerit quid dicit: mihi vivere Christus eſt, & mori lucrum. Optabam diſſolvi, & eſſe cum Christo &c.* Quis autem non videt illam prædominantem, de quâ mox egimus, Charitatem, non eſſe perfectam illam ab Auguſtino deſcriptam Charitatem, ſed ad ad ſummum nutritam Charitatem? Naſcitur enim Charitas, quando homini Deus infundit bonam voluntatem quâ incipit Deo affici; nutritur autem, quando eo uſque creſcit ut jam ex illâ operetur, & in tantum augetur ut ſaltem ſimul cum timore vincat cupiditatem, ſed tamen illo timore pænarum adhuc velut pædagogo indiget & timore juſtitiæ; Roboratur autem,

Tract. 5. in Epiſt. Ioan.

cum

cum jam subactâ cupiditate ita nutrita est ut ingruentibus tentationibus fortiter resistat; eoque robustior est quò gravioribus tentationibus resistit. Cùm hâc tamen Charitate remanent adhuc in homine varii affectus quibus adhuc affixus est, non ita tamen quin unio Charitatis cum Deo cum illis consistere ac perseverare possit, utpote cum Deo tanquam fini ultimo adhæreat; perficitur denique quando pro illo instanti quo elicit Charitatis actum planè liberum habet ab omni creaturâ affectum affixivum, sic ut ipsi vivere Christus sit & mori lucrum, & optet se esse liberum ab hoc mortali corpore, quod aggravat animam, ut sic tantò plenius & liberius soli Dei amori insistere possit & liberatus esse ab impedimentis hujus mundi, quæ efficiunt ut sit impossibile etiam perfectis ac sanctis non quandoque volatico affectu inordinatè creaturæ leviter inhærere. Nec mirum perfectam Charitatem hoc requirere, cum enim per illam Deus super omnia plane creata æstimetur & ametur, etiam magis æstimatur ac amatur quam vita propria, & consequenter magis desiderat possidere bonum magis amatum & æstimatum, scilicet Deum, quam bonum minus amatum & æstimatum nempe propriam vitam.

Charitatem illam *natam*, *nutritam*, *robustam* & *perfectam* alibi vocat S. Augustinus *Charitatem inchoatam*, *provectam*, *magnam* & *perfectam*, cum dicit : *Charitas inchoata, inchoata justitia est* ; *Charitas provecta*, *provecta justitia est* ; *Charitas magna*, *magna justitia est*, *Charitas perfecta*, *perfecta justitia est.*

De Nat. & grat. cap. 70.

Talem perfectam Charitatem habebant martyres qui *cum omnibus amoribus*, *terroribus*, *erroribus suis vicerunt hunc mundum* ut ait S. Aug. Talem perfectam Charitatem habebat Apostolus quando dicebat: *Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio an gladius?* . . . . . *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum*, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Talem Charitatem perfectam nondum habebat S. Petrus licet diceret : *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo.* Et iterum. *Animam meam pro te ponam* Domine. *Putabat* enim *se posse quod se velle sentiebat* ait S. Augustinus. Nondum autem illum habuisse illam perfectam Charitatem exitus ipse comprobavit, qui sufficienter ostendit se nimium adhuc erga vitam propriam affectum

De Cor. & grat. cap. 12.

Rom. 8.

Joan. cap. 13.

De grat. & lib. arb. cap. 17.

fectum habere, quam ne omitteret Christum nevavit. Unde illius Charitatem dicit ibidem S. Augustinus fuisse *parvam* & adhuc *imperfectam*, dicit enim: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam poterit autem cum magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est magnâ Charitate fecerunt ..... Ipsam Charitatem Apostolus Petrus nondum habuit quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non est in Charitate, sicut ait Ioannes Euangelista in Epistolâ suâ, sed perfecta Charitas foras mittit timorem: & tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam.*

Illam supra descriptam perfectam Charitatem statâ & infallibili lege justificare omninò certum est, si in hâc vitâ justificet sine Sacramenti actuali adminiculo, cum perfectior nemini in hac vita unquam præterquam B. Virgini, quæ ab omni cupiditate extr aordinaria Dei gratiâ libera fuit, concessa sit aut concedetur, & nonnisi in eminentibus sanctis reperiatur; attamen an illa sola hominem extra Sacramentum justificet quæstio moveri posset; magnam seu robustam Charitatem saltem in articulo mortis ex speciali

ſpeciali Dei privilegio & bonitate juſtificare ſine actuali Sacramenti adminiculo præclarorum virorum eſt doctrina, attamen nos & illam extra illum articulum juſtificare judicamus, cum Sanctus Auguſtinus in loco ultimò citato ex lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. martyribus non niſi *magnam* ſeu *robuſtam Charitatem* attribuat, qui indubiè habuere Charitatem juſtificantem. 2. Ille affectus ſeu amor affixivus creaturæ, cui tamquam fini, non ſimpliciter ultimo, ſed tantum ſecundum quid, in aliquâ nempe particulari ſerie actionum adhæret ſicuti poteſt conſiſtere cum Charitate perfecta jam acquiſitâ & non tollit unionem hominis cum Deo per Charitatem ita & conſiſtere poteſt cum Charitate ſatis perfectâ reconciliante hominem cum Deo ſine Sacramenti auxilio, cum ſatis fortis & robuſta ſit ad omnem cupiditatem graviter Deo diſplicentem, & conſequenter ejus amicitiam impedientem, ſe ſolâ excludendam & repellendam; non enim omnimodè perfectiſſimam in hâc vitâ poſſibilem Charitatem exigendam judicamus, cum ſic non ſolum pauciſſimi, ſed vix ulli juſtificationis gratiam ſine Sacramenti adjutorio conſequi poſſent. Deinde ſicut volatici affectus ad creaturam poſ-

ſunt

ſunt conſiſtere cum perfectiori illâ Charitate & non impediunt quo minus hominem mox antequam actu Sacramentum ſuſcipiatur juſtificet, cur impedient illum effectum affectus quidam affixivi, cum ambo non tollant vel impediant unionem vel vinculum Charitatis hominis cum Deo, vel amicitiam hominis cum Deo? Unde licet magna illa ſeu robuſta Charitas, non dicatur à S. Auguſtino perfecta Charitas, reſpective ad illam perfectiorem deſcriptam, eſt tamen ſimpliciter in ſe perfecta ſatis ad juſtificationem nihil enim obeſt cur in perfectâ Charitate juſtificante non poſſint dari perfectionis gradus & una alterâ eſſe perfectior, ſicuti de facto perfectiſſimâ omnium Sanctorum Charitate adhuc perfectior habuit B. Virgo: Et non eſt dubium quin is, qui per juſtificantem Charitatem ſe è ſtatu peccati tranſtulit ad ſtatum gratiæ, poſſit in illâ Charitate creſcere, illamque ſic magis ac magis perficere, cum Charitati nullus ſit in hâc vita finis & terminus poſitus, modus enim diligendi Deum eſt diligere ſine modo juxta mellifluum ac non niſi ſpirantem Charitatem S. Bernardum, infinita enim bonitas infinitam à ſua creatura mereretur Charitatem, ſi hæc poſſibilis foret.

At graviſſima jam exurgit difficultas quid requirant SS. Patres ad perfectam Charitatem juſtificantem, de quâ ſit ſequens paragraphus.

## §. XIII.

*Quandonam Charitas ſufficienter ſit perfecta ad hoc ut ſine actuali Sacramenti adminiculo hominem Deo reconciliare poſsit?*

RESp. Teſte Bellarmino ſubinde dicitur Charitas perfecta quoniam non modo Deum ſuper omnia diligit unico actu voluntatis, dum eum cogitat ſummum eſſe atque infinitum, ſed etiam perſeverat in dilectione uſque ad impletionem omnium mandatorum, quæ dicitur dilectio ſuper omnia quoad affectum & effectum. Imperfecta verò quandò afficitur quidem in Deum ſuper omnia, dum eum cogitat ſummum eſſe bonum, & nulla occurrit tentationis occaſio, tamen occurrente objecto aliquo alliciente facilè deficit & extinguitur. Verum hæc perfectæ ac imperfectæ Charitatis idea non ſufficit intento noſtro: licet enim à poſteriori bene colligamus illam eſſe Charitatem

 

ritatem perfectam quæ perseverat in dilectione usque ad impletionem omnium mandatorum, & nullis tentationibus evertitur; & è contra illam tantum esse imperfectam quæ occurente tentatione facile deficit & extinguitur, adeoque cupiditati facile succumbit, tamen contingere potest perfectam Charitatem, quę etiam sine reali Sacramenti susceptione justificat, non perseverare aliquo tempore in Dei dilectione, sed ingruente gravissimâ tentatione succumbere, sicuti enim maximi Sancti robustissimâ prædici Charitate graviter nonnunquam delinquunt & sic à Charitate excidunt, quid ni fieri potest ut is, qui è statu peccati per Charitatem justificantem se extraxit, in simile vel aliud peccatum iterum mox occurrente tentatione, labatur sicque Charitas, quæ sufficiens erat ad implenda Dei mandata, non perseveret sed iterum deperdatur? Non ergo ad Charitatem perfectam justificantem requiritur ut perseveret in dilectione Dei usque ad omnium mandatorum impletionem. Sed ad minus tum sufficit si sit talis Charitas quæ sufficiens est ad omnium mandatorum Dei impletionem quæ de facto excludit penitus omnem affectum graviter inordinatum ad creaturam, totumque affectum

ctum in Deum transfert, tamque firmo nexu Deo affigit, ut si illo tempore quo elicitur & actu perseverat animum pulsarent omnia hujus mundi delectamenta ut hominem ad mortale peccatum allicerent; simulque omnia Tyrannorum tormenta proponerentur ad abstrahendum hominem à Dei dilectione, illis tamen non succumberet sed Deo per dilectionem maneret adhærens; Nonne hæc satis magna robusta & perfecta est Charitas? O quam pauci ad illam pertingunt.

Omissis aliorum sententiis quas referre & refutare nimis longum foret breviter nostram declarabimus

Illam ergo nos satis perfectam ad justificationem judicamus Charitatem quæ excludit omnem servilem timorem sic ut homini displiceat peccatum nullomodo propter pœnam; sed nudè quia divinæ displicet bonitati cui unicè adhærere firmiter desiderat & vult ipsi in æternum servire, illumque glorificare & amare, sitque illa tam fortis ut se solâ sine motivi alterius adjutorio omnem affectum graviter inordinatum ad creaturam superare possit & expellere.

Liquet primo ex S. Scriptura quæ ait:
1. Joan. 4. *Perfecta Charitas foras mittit timorem.*

2. Ex Gilleberto Ordinis Cisterciensis

Ab-

Abbate viro Spiritu, ac doctrinâ S. Bernardi pleno qui complevit aureum illud opus S. Bernardi in Cantica ; hic ergo Author ait : *Dedignatur Charitas* TIMORIS COMMERCIUM, *cogi nesciens, quæ nequit compesci. Ideo Charitas perfecta foras mittit timorem, velut inutilem & supervacuum sed non timorem illum qui castus permanet in sæculum sæculi ...... Injuria quædam justitiæ est si metu pœnarum in gratiam veniat. Satis ipsa per se meriti obtinet ut hominum in se studia provocet, & conciliet affectus.* HUNC ERGO TIMOREM CHARITAS PERFECTA EXCLUDIT. QUOMODO ENIM PERFECTA CHARITAS, QUÆ TIMORIS STIMULO INDIGET AD CULTUM IUSTITIÆ ? *Perfecta dilectio mentem in solido possidet, omnia soli sibi justitiæ munera deputari volens. Frigidus timor est, & pigrè incedit, satis habens tantum impunè evadere. Amor fastidium nescit, fervidus est, & in anteriora extentus. Metus contractior necessitate tantum justitiæ subit officia. Amor perfectus soli, quod agit, debet justitiæ, nihil in eâ juris relinquens timori ..... Si non ejus* ( Christi ) *obtentu solius obtemperatur ipsi, quomodo erit ejus perfecta dilectio ? ..... Trahe me* Deus *in temetipsum, ut nullo indigeam timoris impulsu, sed perfecta* Charitas *usum ejus excludat. Quid igitur non sunt metuenda æterna supplicia ? Metuenda planè sunt & cavenda, nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed vehementior Christi dilectio motu timoris non eget in affectum*

Serm. 19. in Cantica habetur inter opera S. Bernardi tom. 5.

 justitiæ.

*justitiæ. Amor iste nihil tam veretur quantum offensam, sed propter offensam & non propter pœnam.* Idem docet Author libri de modo bene vivendi ad Sororem qui habetur inter opera S. Bernardi. Ubi ait: *Qui adhuc*
cap. 4. *timet* (agit de timore servili) *non habet perfectam fiduciam in die judicii. Nondum est in illo perfecta Charitas qui adhuc timet, quia si perfecta in illo esset Charitas non timeret. Perfecta Charitas faceret in homine perfectam justitiam, & homo non haberet unde timeret, sed haberet unde desideraret ut transeat iniquitas & veniat regnum Dei. Quid est perfecta Charitas nisi perfecta sanctitas?* Hisce accedat authoritas D. Augustini supra dicentis: *Ipsam Charitatem* (perfectam)
De grat. & lib. arb. cap. 17. *Apostolus Petrus nondum habuit quandò timore Dominum ter negavit: Timor enim non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem.*

Hæc est illa perfecta Charitas de qua
1. Joan. 4. Joannes dicit: *In hoc perfecta est Charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Quomodo enim non haberet fiduciam in die judicii quæ illa quæ agit ex Charitate
Epist. 107. propter Deum operatur? *Nemo se amari diffidat qui jam amat: libenter Dei amor nostrum, quem prævenit subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit quos amavit & necdum amantes? Amavit inquam, amavit.* Ait S. Bernardus *Non timeat anima quæ amat, paveat quæ non amat:*

*amat*: ait S. Auguſt. in Manuali cap. 20.

Hæc eſt illa perfecta Charitas de qua Ioannes Climacus ait: *Charitas denique perfecta eſt cujuſque adverſæ pravæque intentionis cogitationiſque depoſitio. Charitas enim non cogitat malum. Charitas & tranquillitas & filiorum adeptio ſolis nominibus diſtincta ſunt.* Nonne enim deponit pravam cogitationem & perverſam intentionem qui ſuperando peccatum illud vitat ex ſolo motivo quod illud diſpliceat divinæ bonitati, cui ſoli unicè placere deſiderat? Gradu 30. de vinculo fidei & Charit.

Hæc eſt denique illa perfecta *Charitas*, quæ teſte Apoſtolo, *non quærit quæ ſua ſunt.* Cum homo in illa deteſtatione non quærat ſuum proprium commodum, ſed ſolam Dei Gloriam & honorem, quam peccando inhonorarat.

Hæc Charitas indubiè eſt Dei ſuper omnia amor cum ſe ſolâ ſuperet ac excedat omnem erga creata affectum.

Charitatem ergo perfectam juſtificantem extra Sacramentum hoc modo deſcribere poſſumus: eſt Dei propter ſe amor qui ſe ſolo ſufficiens eſt ad excludendum omnem affectum quo homo inordinatè inhæret creaturæ tanquam fini ultimo, illumque ad Deum convertendum.

Charitatem vero imperfectam, quæ ſe ſolâ id preſtare nequit, ſed ad hoc in-

diget timoris gehennæ aüxilio.

Hæc ergo est reverà parva & imbecillis; illa robusta, magna & fortis. Sub illâ homo respicit adhuc ad semetipsum, propriumque suum commodum; cum hâc solum Dei bonum & commodum. Sub illâ partim respicit peccatum ut est offensa Dei quem incipit diligere partim ut est meritorium pœnæ quam sibi timet; Cum hâc nudè respicit peccatum ut est offensa Dei, cui unicè jam placere desiderat. Sub illâ partim adhuc est servus, in quantum timet pœnam ob quam de testatur peccatum, partim incipit esse filius in quantum detestatur peccatum ut est offensa Dei; cum hâc solo filiali affectu procedit cum filiorum proprium sit detestari peccata in quantum Patri displicent; unde per hanc statum adoptionis filiorum consequitur.



§. XIV.

## §. XIV.

*Proponitur & discutitur difficultas, Cur non omnis Dei amor prædominans licet imperfectus justificet antequam Sacramentum actu suscipiatur, cum per illum homo se avertat à creaturis graviter inordinatè amatis, & convertat ad creatorem, conversio autem peccatoris per amorem ad Deum tollat peccatum.*

RESP. Aversio affectus inordinati à creaturis & conversio ad Deum tollunt quidem peccatum quoad affectum seu complacentiam peccati, cum illis positis peccatori pœnitenti reverà displiceat peccatum, illudque detestetur ac fugere conetur, sed tamen non tollunt peccatum quoad reatum seu dignitatem inimicitiæ divinæ; non enim satis est ad placandum Deum offensum, ut homini displiceat peccatum, illudque detestetur & relinquat, seque iterum ad Deum, à quo per peccatum se averterat, convertat, sed præterea requiritur aliquid quod suo modo mereatur favorem & amicitiam divinam, & illud est Charitas per-

fecta etiam sine Sacramento, vel imperfecta cum Sacramento, cui specialiter in Sacramento conjungitur virtus Passionis Christi Domini, cujus respectu favorem divinum amicitiæ Dei meretur. Hinc provenit quod Deus nonqualemcumque à peccatore exigat ad se conversionem, sed *conversionem ex toto corde, ex toto affectu, in jejunio, fletu, planctu* &c. ut illa divinam justitiam ad misericordiam flectat sicque divinam amicitiam mereatur.

Responsio hæc satis clarè in rebus humanis patet, qui enim alteri injuriam fecit, illumque offendit, non satisfacit justitiæ, nec delet offensam ex eo quod ipsi jam displiceat illa, illamque retractet, sed indubiè plura ab offenso amico exiguntur.

Unde licet infallibiliter ad exclusionem voluntatis peccandi, & ad peccati remissionem exigatur aversio affectus à creaturis, quibus tamquam fini ultimo adhærebat, & conversio ad Deum, juxta illud S. Augustini: *conversis ad se donat peccata, non conversis non donat.* & illud S. Bernardi: *Vera nobis vita non nisi in conversione est, nec aliter ad eam patet ingressus .... Nec immerito sanè à filiis quidem hominum videtur exigenda conversio ad Dominum Deum, peccatoribus utique necessaria*, uti ex pluribus supra citatis

In Psalm. 32.

cap. 1. de Convers. ad Clericos.

S. Scri-

S. Scripturæ locis quæ exigunt conversionem peccatoris ad Deum, & consequenter aversionem à creaturis, liquet; tamen illa conversio ex perfectâ supra dictâ Charitate procedat necesse est ut sine Sacramenti adminiculo justificet.

Ex hac doctrinâ notabilem hanc deduco conclusionem, Quod *licet Attritio aliqua excludat voluntatem peccandi, inde tamen non sequatur illam sufficere ad justificationem etiam cum Sacramento*; quia ratio naturalis dictat quod non sufficiat ad remissionem offensæ quod non velimus alterum offendere, sed quid amplius requiratur ut ex dictis constat. Unde Alexander VII. in suo decreto expressè prohibuit censurare sententiam quæ docet. *Attritionem ex metu gehennæ excludentem voluntatem peccandi cum spe veniæ non sufficere ad impetrandam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, sed insuper aliquem actum dilectionis Dei requiri.*

Ex quo evincitur quod licet adversarii probarent Contra SS. Patrum unanimem sententiam Attritionem ex solo gehennæ metu penitus posse excludere voluntatem peccandi, imo & illam hominem ad Deum posse convertere, quæ tamen in doctrinâ Patrum nusquam reperies: inde tamen nondum evincerent illam Attritionem sufficere cum Sacramento ad justifi-

cationem. Quid enim in illa Attritione reperire est quod aliquo modo mereatur favorem amicitiæ divinæ; cum in illa non detestetur peccatum quia Deo displicet, id enim actus amoris est, aut propter Deum, sed ex amore propriæ pellis cui timet? Quomodo enim actus aliquis potest apud aliquem aliquid mereri, quando non fit in gratiam alterius aut ex ejus intuitu?

Huc accedit quod qui peccatum commisit, saltem interpretative voluerit offensam Dei; hæc autem interpretativa voluntas ante in hunc modum contracta in æternum non retractabitur, nisi postea displiceat offensa Dei, & in æternum hæc non displicebit quam diu peccator solum procedit ex timore gehennæ.

Hinc non nulli docent, (quod tamen non assero) non incurrere excommunicationem Alexandri VII. latam in citato decreto qui dicit hanc sententiam: *Attritio ex solo & puro puto gehennæ metu sufficit ad justificationem in Sacramento*: Esse falsam, periculosam, & fidei contrariam aut aliâ notâ dignam. Quia de illa Attritione non agit Alexander VII. in suo decreto: nam tantum vetat censurari sententiam nostram, uti & illam quæ dicit, *Attritionem ex metu gehennæ excludentem voluntatem peccandi sufficere ad justificationem cum Sacramento*. Attritio-

tritionem autem ex ſolo gehennæ metu voluntatem peccandi (ad mentem Concilii Tridentini) excludere omnino negant.

## §. XV.

*Vndenam oriatur unam Charitatem ſeu Dei propter ſe amorem prædominantem eſſe parvum, debilem, imbecillem ac invalidam & indigere motivo pœnarum ad excludendum omnem affectum ad creaturam graviter inordinatum; alterum vero robuſtam, magnum, & fortem, ac ſe ſolo omnem illum affectum excludentem.*

QUæſtio hæc indubiè valde difficulter decidi poteſt cum, ut alibi monuimus & oſtendimus, nobis planè incognita ſit actuum voluntatis & qualitatum, maximè ſupernaturalium, qualis eſt Charitas, natura ac modus operandi; ut tamen noſtram illâ de re ideam exprimamus, prænotandum nos hic non agere de Charitate habituali, quæ pro majori diſpoſitione pœnitentis à Deo major infunditur, quæ & magis ac magis accreſcit pro ut plura & excellentiora opera

meritoria homo exercet, unde & in D. Virgine inter omnes puras creaturas maxima est & fuit habitualis Charitas.

Agimus ergò de Charitate seu Amore Dei propter se actuali, quo peccator se ad Deum convertit, & putamus Amorem Dei perfectum & imperfectum solummodo distingui penes intensum & remissum, quod Amor Dei prædominans imperfectus sit minus intensus seu magis remissus quam Amor Dei prædominans perfectus.

Probatur 1. hæc sententia quia cæteris paribus secundum omnes qualitatum perfectio & imperfectio desumitur ex majori vel minori earum intensione, atqui, saltem in Peripateticorum scholâ, Charitas actualis est qualitas, ergo ejus perfectio vel imperfectio est desumenda ex majori vel minori ejus intensione. Abstrahimus hic ab illâ Philosophicâ & Theologo indignâ quæstione, nobis incertissimâ, an qualitates verè in se intendantur & quomodo intendantur; & actus voluntatis sint veræ qualitates à voluntate realiter distinctæ, certum enim est illa quæ communiter vulgo appellant qualitates, certo modo intendi & remitti, prout in calore experientia comprobat.

Prob.

Prob. 2. Quia in communi ſententia eò perfectior eſt habitualis Charitas, quò eſt intenſior; ergò etiam eò perfectior eſt actualis Charitas vel dilectio quò eſt intenſior.

Prob. 3. Quia communiter apprehendimus nos eò perfectius aliquem diligere quo majori voluntatis conatu benevolentiæ eum proſequimur? At quid ille major voluntatis conatus quam major intenſio? Hinc homines ſæpe conqueruntur de amicorum remiſsâ dilectione, & inſtigant ut conentur illos intenſiore Amore proſequi.

Prob. 4. Sicuti naturalis calor eò eſt perfect or quò intenſior; & quò intenſior eò fortior, efficacior ac major; ita etiam calor ignis illius ſupernaturalis, de quo veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Luc. 12. Eò perfectior quò intenſior, eòque fortior, efficacior, ac major; & ſicut remiſſus calor eſt parvus, invalidus & imbecillis, ita etiam remiſſa Charitas eſt parva invalida & imbecillis, quæ ſenſim majus incrementum accipiendo fit perfecta.

Prob. 5. Quia Eccleſia orando: *Da nobis fidei ſpei & Charitatis augmentum*, non ſolum orat pro Charitatis habitualis augmento, ſed & pro majori Charitatis actua-

lis

lis augmento; at per quid augetur actualis Charitas, quam per majorem Charitatis intensionem? Et quid est orare pro majori actualis Amoris augmento, quam orare ut Amor imperfectus magis intendatur ac sic tandem fiat perfectus? Hinc etiam S. Augustinus supra dicit Charitatem primùm *nasci*, postea *nutriri*, tum demum *roborari ac perfici*. Sicut autem corpus nutritur per hoc quod novæ partes alimenti agglutinentur ac convertantur in substantiam aliti, ita & Charitas nutritur per hoc quod novæ quasi partes ac gradus (quidquid illi gradus sint) Charitati adjungantur; non enim cogitare debemus actualem Charitatem tamquam qualitatem & rem fluentem ac transitoriam mox evanescere, *persistat*, inquit S. Augustinus, *bona voluntas adversus concupiscentias malas*. Imo SS. Patres cum loquuntur de Charitate ejusque augmento, perseverantiâ, &c. semper ferè loquuntur de Charitate actuali, quia rarissime loquuntur de Charitate habituali quando agunt de adultis; adeo ut nuper quidam Author in Quæstione Theologicâ de Gratiâ Justificante putet quod SS. Patres in adultis nusquam videantur agnovisse habitualem Charitatem distinctam ab actuali & virtuali, bene tamen in parvulis, sed hoc est alterius indaginis. Sen-

Sententiam hanc confirmant hæc sequentia divini Verbi Oracula: *Oro ut Charitas vestra magis ac magis abundet. In Charitate crescamus.* Item illud S. Gregorii: *Vnaquæque virtus quasi quibusdam gradibus agitur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur: alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio.* Et denique illud Sapientis: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Sicuti enim aurora per solam majorem luminis solis intensionem crescit, dispellit nubes & fit perfectus dies, ita & prima scintilla Charitatis, quæ est quasi aurora, per majorem Charitatis intentionem crescit, dispellit nubes cupiditatum, & pervenit ad perfectum diem Charitatis in quo depulsis tenebris peccatorum splendet & lucet sol justitiæ supra horizontem animæ illamque totaliter radiis suæ Charitatis accendit. Pulchrè de hoc discurrit S. Salesius in lib. de Amore Dei, ubi ait: *Deus bone, Theotime, quantæ consolationis est considerare sacram hanc Methodum, quâ Spiritus S. primos sui luminis & caloris vitalis radios sensusque immittit in corda nostra! O Iesu dulcissime quantis delitiis abundans est gaudium videre cælestem Amorem (qui sol est & decus virtutum) dum per admirandos quosdam progressus (qui sensim & quasi sine sensu efficiuntur sensibiles) explicans suam clari-*

Philipp. 1. Ephes. 4. Hom. 15. in Ezech. Proverb. 4. lib. 2. cap. 13.

*tatem,*

*tatem, eam facit splendescere in animis mortalium, nec unquam cessat eos magis ac magis illuminare, donec tandem illos penitus cooperiat, & velut obruat luce suæ præsentiæ, illisque elargiens perfectissimum splendorem serenissimæ diei. O quam hilaris, quam pulchra, quam amabilis, quamque grata est isthæc aurora! Verumtamen stat, quod aurora illa aut non sit dies, aut si dies est, sit enim tantum inchoans, & oriens, vel potius infans diei, quam ipsemet dies. Eodem pene modo motus Amoris, qui præcedunt actum fidei requisitum ad nostram justificationem, vel non sunt Amor ipse, propriè loquendo, vel certè sunt incipiens & imperfectus.*

Ultimò, hæc sententia ex eo etiam confirmatur quod ex nullo alio capite deduci possit illa differentia Charitatis perfectæ & imperfectæ; non ex parte potentiæ, cum utrumque actum Charitatis perfectæ & imperfectæ eadem voluntas adjuta supernaturali Dei gratiâ eliciat. Non ex parte motivi, cum utraque respiciat Dei bonitatem vel aliam Dei perfectionem. Non ex parte modi tendendi, cum utraque tendat in Deum, seu aliquam ejus perfectionem propter se ibi hærendo. Ergò à sufficienti divisione debet peti ex majori vel minori Charitatis intensione.

§. XVI.

## §. XVI.

### *Quænam Charitatis intensio requiratur adhoc ut Charitas sit perfecta & quænam adhoc ut cum Sacramenti actuali auxilio tantum justificet.*

QUæstio hæc indubiè maximæ est difficultatis & nonnisi difficulter decidi potest, attamen rei obscuræ, quantum poterimus, lucem adferemus.

Suppono ergo quoad primum non requiri ad Charitatem perfectam justificantem sine Sacramenti actuali adjutorio ut sit intensissima, illa enim dari non potest, saltem numquam in hâc vitâ data fuit nequidem D. Virgini, imo ne quidem Christo Domino; nam teste S. Salesio dicente: *Ne ipsamet quidem Charitas, quæ est in nostro Redemptore, quà est homo, quamvis sit major, quam & homines & Angeli possint comprehendere, tamen in suo esse, seu ex seipsâ non est infinita, sed solummodo in æstimatione suæ dignitatis & meriti, quia scilicet est Charitas personæ infinitè excellentis, id est personæ divinæ, quæ est æternus omnipotens Patris filius.* Si non sit in seipsâ infinita, ergo adhuc magis intendi potest. Undè multi tenent intensissimam Charitatem esse planè impossibilem, & reverâ si possi-

lib. 3. de Amore Dei c. 1.

possibilis foret, Christo Domino negari non posset.

Qualis autem præcisè intensio requiratur, hoc soli Deo cognitum est; Unde obligatur homo summum adhibere conatum quem moraliter adhibere potest, ad illam Charitatem eliciendam, quandò actum illum Charitatis perfectæ elicere conatur. Nec hoc mirum cum etiam Authores contrariæ sententiæ fateri cogantur se ignorare quænam præcisè requirantur ad Charitatem perfectam & quandonam illam eliciant, si enim hoc scirent, possent esse certi de suâ justificatione, & sic non
Eccles. 9. esset verum illud Scripturæ: *Nescit homo an amore an odio dignus sit.* Adeoque homo cum timore & tremore salutem suam operari debet.

Quantum ad Charitatem imperfectam justificantem cum Sacramento, qualis ad illam requiratur intentio etiam non potest determinari, sed debet attendi tum ad timorem cum illa Charitate concurrentem, tum ad cupiditatem in peccatore residentem; quò enim minor est timor & major est cupiditas, eò major ac intensior debet esse Dei Charitas: si enim sit efficax timor propemodum totam expellet peccandi voluntatem seu cupiditatem, sic ut tantummodo relinquet simplicem velleitatem,

tatem, qua vellet peccare si posset impunè, cui cupiditati remanenti facilè parvus ac remissus Dei Amor prædominari potest: si autem sit parvus timor & magna cupiditas, tunc timor non multum de illâ diminuet, adeoque tunc eò fortior ac intensior debet esse Charitas, ut illi cupiditati possit prædominari, illamque expellere.

Unde fit consequens ad Attritionem requisitam cum Sacramento non requiri stabilem aliquam ac determinatam Charitatis seu dilectionis intensionem, sed nunc majorem nunc minorem pro variâ dispositione Pœnitentis. Adeoque contingere potest quod dilectio sufficiens in uno, possit esse insufficiens in altero ad justificationem. Sicuti enim SS. Patres unanimiter docent eò majorem debere esse Pœnitentiam, quo gravioribus ac pluribus Pœnitens constrictus est vitiis seu peccatis, nam *fortius est dolendum, quia fortius est peccatum*, ut ait S. Ambros. ad Virginem lapsam. *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, Pœnitentia crimine minor non sit.* Ait S. Cyprianus. Cujus ratio à priori est quia secundum constantem SS. Patrum doctrinam *Pœnitentia debet crimini esse proportionata*, seu, ut loquitur S. Augustinus, agenda est Pœnitentia *secundum modum sui cujusque*

cap. 8.

Tract. de Lapsis

Enchirid. cap. 65.

*cujusque peccati.* Liquet hoc ex S. Ambrosio lib. 1. de Pœnit. cap. 2. Basilio Hom. in hæc verba: Attende tibi ipsi. Ex Epist. Cleri Romani ad Cyprianum. Isidoro Hispalensi lib. 1. Sent. cap. 13. & dictat hoc clarè ipsa naturalis ratio. Ergo quo graviora & plura commissa sunt peccata, eò major est adhibenda pœnitentia. Ita etiam nos conformiter dicere possumus, eò majori hominem ad Deum debere redire Amore, quo majori odio Deum aversatus est, si enim dolor eò major debeat esse quò gravius fuit peccatum, ergo etiam eò major debet esse Amor; parum enim Deus respicit dolorem de commisso peccato, si is ex vero sui affectu non proveniat, & pro tanto placet dolor, pro quanto ex sincero Dei Amore provenit.

Imo etiam contingere potest Charitatem imperfectam sufficere cum Sacramento in uno ad justificationem, qui est insufficiens in altero, licet uterque iisdem planè peccatis subjaceat, si nempè in uno sit major gehennæ timor quam in altero, tunc enim fieri potest ut imperfecta Charitas cum auxilio majoris timoris excludat voluntatem peccandi; & fiat prædominans, quod tamen eadem cum minori timore facere nequit. Illud etiam in uno eodemque homine pro diverso tempore,

&

& varietate dispositionum fieri posse certum est. Eodem ergo modo hic loquendum de hac Charitate, sicuti docet Augustini sententia de Gratiâ; eadem enim gratia potest esse planè efficax in uno, omnemque in illo superare resistentiam, totumque suum operari effectum, seu absolutum velle & perficere, in altero verò inefficax, sic ut tantum producat in illo simplicem velleitatem, qui nempe induratum in malo animum habet.

Hinc provenit, quod, quando in homine æque ferè intensa est erga Deum Charitas & cupiditas, sic tamen ut cupiditas adhuc prædominetur, oriatur illa lucta, quam in seipso expertus est S. Augustinus, quamque describit in suis Confessionum libris, dicens: *Voluntas autem nova quæ mihi esse cæperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus* (cupiditas) *alia nova:* (Charitas) *illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam ..... Ita sarcinâ sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur ..... Certum habebam esse melius tuæ Charitati me de-* lib. 8. cap. 5.

*dere, quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat, hoc libebat & vinciebat .....* Et inde illa *verba lenta & ſomnolenta; Modo, ecce modo, ſine paululum. Sed modo & modo non habebant modum: & ſine paululum in longum ibat. Fruſtrà condelectabar legi tuæ ſecundum interiorem hominem cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captivum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat.* At ubi nova voluntas Charitatis tunc adhuc parva, invalida & imbecillis, poſtea robuſtior, intenſior ac fortior facta eſt vetere voluntate cupiditatis, tunc vel totaliter vel pro magnâ parte ceſſavit lucta, & ita cupiditas ſuperata fuit ut dicat: *Quam ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum? Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuavitas: ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini; omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior.*

lib. 9. Conf. cap. 1.

Nec eſt quod quis urgeat hanc ſententiam præbere materiam multis ſcrupulis, cum quilibet ſemper poſſit dubitare, num habeat præexiſtente cupiditate majorem, fortiorem ac intenſiorem Charitatem ſeu Dei propter ſe amorem; nam etiam in adverſariorum ſententia ad minus requiritur cum Sacramento ad juſtificatio-

ficationem attritio, quæ sit supernaturalis, cum pateat ex variis Conciliis & Patribus dolorem de peccato commisso debere esse ex gratiâ; unde Concilia frequenter docent neminem posse pœnitere sicut oportet sine dono gratiæ divinæ, sic expresſè definit Tridentinum: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur Anathema sit.* Vide Concilium Arausicanum II. cap. 6. 7. 8. 9. & 25. Ut proinde meritò dicatur hæreticum, quod Attritio naturalis sufficiat cum Sacramento ad justificationem. At quis multò minus potest cognoscere an habeat supernaturalem Attritionem, quam an habeat majorem ac intensiorem Charitatem, cum ex variis effectibus (quos assignavi in prima parte Tyrocinii nostri tract. 2. cap. 4. §. 1. num. 71. secundæ editionis) ille prædominans Dei Amor colligi possit, & consequenter ejus supernaturalitas, cum Amor Dei propter se, quantumvis imperfectus, semper sit supernaturalis; non ita autem supernaturalitas Attritionis ex gehennæ metu, cum talis Attritio facile viribus naturæ haberi possit, uti probavi in citato Tyrocinio tract. 1. cap. 4. §. 2. num. 77. Ergo sicuti

Sess. 6. Can. 3.

Vid. Tr. 1. c. 4. §. 9.

uti adverſariorum ſententia non præbet materiam ſcrupulis, ita nec noſtra.

Ut tamen quantum poſſibile eſt ſecuros homines reddamus dicimus confidenter cum S. Auguſtino, quod, qui in voluntate ſuâ veram erga Dominum Deum inveniunt ſynceram Charitatem, ſecuri eſſe poſſint. *Redeat unuſquiſque ad cor ſuum, ſi ibi invenerit fraternam Charitatem* (ordinatam ſcilicet ad Deum) *ſecurus ſit*. Et antea. *Si Charitatem habeas ſufficiat tibi*. Et iterum: *Interroga viſcera tua, ſi plena ſint Charitate, habes Spiritum Dei. Qui enim cœpit in vobis opus bonum perficiet uſque in diem Chriſti.*

Tract. 5. in Epiſt. Ioan.

Tract. 9. in Epiſt.

Philipp. 1.

Ut enim ſupra ex S. Bernardo vidimus: *Nemo ſe amari diffidat, qui jam amat. Libenter Dei Amor, noſtrum, quem prævenit, ſubſequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit, & necdum amantes?* Et alibi: *Cauſa diligendi Deum Deus eſt, efficiens & finalis: ipſe creat affectionem, deſiderium ipſe conſummat.* Hujus veritatis fidejuſſorem habemus ipſam primam veritatem dicentem: *Ego diligentes me diligo. Qui diligit me diligetur à Patre meo &c.* Quomodo autem divina bonitas ſe diligentem, & quem reciprocè diligit, derelinquet? Non ſtabit ex parte Dei, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, ſed ex parte hominis quod quando Deus homini infundit ali-

Epiſt. 107.

lib. de diligendo Deo.

aliqualem sui amorem, is ad completum & perfectum non perducatur adeoque sibi imputare debet, quod in peccatis suis perseveret, *perditio tua ex te Israël.*

Secundò non ideo sententia aliqua est rejicienda quia aliquibus præbet materiam scrupuli; nonne multis materiam scrupuli suppeditant illa Scripturæ loca: *Multi sunt vocati, pauci vero electi. Arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Nemo scit an odio an amore dignus sit,* & similia? Non ideo tamen minus vera sunt. Deinde bonum foret quod multi fierent parum scrupulosi, qui jam plenâ ferè securitate conscientiæ malæ inhærent; deinde nimia illa securitas & facilitas, quam aliqui apprehendunt in consequendâ peccatorum remissione in causâ est quod aliqui nunquam verè & plenè consequantur peccatorum remissionem; cum enim sibi persuadeant se semel tundendo pectus, & dicendo, peccavi, obtinere, saltem cum Sacramento, absolutionem à suis peccatis rarò solent majores dispositiones, certò certius tamen requisitas ac necessarias, adhibere in ordine ad illum effectum; nonne similibus bonum foret quod fierent parum scrupulosi, ut sic majora, meliora ac certiora adhibeant media in ordine ad illum finem, & sic melius

lius ac certius provideant animæ suæ saluti? Accedit quod jam multi passim vocentur scrupulosi, qui tamen secundum regulas legis æternæ dirigunt actiones suas, & per viam securiorem tendunt ad vitam æternam, utinam taliter omnes forent scrupulosi!

Nec etiam hæc sententia reddit difficile Sacramentum Pœnitentiæ; quid enim facilius quam Deum amare, cum tot Amoris ejus nobis suppeditaverit motiva? *Potes mihi dicere*, inquit S. Aug. *Non habeo quod tribuam indigenti, non possum jejunare frequenter, & à vino & carnibus abstinere non possum. Numquid potes mihi dicere Charitatem te habere non posse?* Et iterum: *In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere: in habendâ verò dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi dicere aliquis, non possum jejunare: nunquid potest dicere, non possum amare? Potest dicere propter infirmitatem corporis mei non possum à vino, vel à carnibus abstinere, nunquid potest dicere, non possum diligere? ..... Nemo se circumveniat quia Deus neminem fallit. Cum enim multa sint quæ propter fragilitatem humanam corporaliter implere non possumus, Charitatem tamen in corde nostro Deo inspirante, si in veritate voluerimus, sine aliquâ dubitatione habere poterimus.* Deinde non ita facile per Sacramentum, justificationis gratiam

Hom. 6. inter 50.

Serm. 59. de temp.

tiam possumus obtinere ac multi sibi persuadent, nam teste Tridentino post gratiam baptismi amissam *ad vitæ novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus: ut meritò Pœnitentia laboriosus quidam baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Labor iste* (Pœnitentiæ post baptismum) *paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lachrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt, ait Pacianus.* Et quidem tam paucorum, ut dicat S. Ambrosius. *Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congruè egerint Pœnitentiam.* Quod si tamen facile quis dicere velit hoc Sacramentum, id non aliter dici potest quam ob conjunctum Amorem, cui nihil difficile est. Vide nostrum Tyrocin. part. 1. tr. 2. cap. 6. §. 3. ubi dicit S. Aug. *Omnia fiunt facilia Charitati leges Dei duræ sunt timori, leves Amori* &c.

Sess. 14. cap. 2.

Epist. 3. ad Sympron.

lib. 2. de pœnit. cap. 10.

## §. XVII.

*An sicuti ad Charitatem perfectam ejus intentio, ita etiam requiratur ejus certa extensio seu per aliquod tempus duratio?*

RESP. Certum est ad Charitatem justificantem non requiri ut ad aliquod

tempus duret. Patet clarissimè quia SS. Patres manifestè innuunt hominem posse subitò quasi in instanti se per Charitatem perfectam ad Deum convertere, neque attendendum esse in peccatoris conversione ad mensuram temporis, sed Epist.91. doloris & Amoris. *Misericordiæ Dei*, inquit S. Leo: *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullus patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum ingemueris tunc salvus eris.*

Enchir. cap. 65. Hinc & S. Augustinus ait: *In actione pœnitentiæ ..... non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.* Serm. 66. de Tempore. Et iterum. *Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed animi amaritudine. Unde Beatus Petrus mox à Domino indulgentiam recepit, quia amarissimè flevit trinæ negationis culpam. Pœnitentia quamvis sit exigui temporis, si intimâ cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem justum Deum qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum synceritatis pœnitentis pensat.* Quæ hic de pœnitentiâ dicunt SS. Patres, etiam de Charitate perfectâ, quam pœnitentia sufficiens ad justificationem sine Sacramento includit, prorsus dicendum est. Sic Christus Dominus Mariæ Magdalenæ peccatrici mox peccata remisit ob ejus dilectionem; *dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*, ait Christus. Hoc

Hoc tamen fatendum rarissimè contingere hominem gravi delicto à Deo aversum subitaneâ ac instantaneâ ad Deum conversione perfectâ pœnitentiâ redire; factum id est in Zacheo, Maria Magdalena, Bono Latrone, Paulo, aliisque: verum optimè dicit S. Bernardus, quod similis mutatio dexteræ excelsi *non tam in exemplum, quam miraculum afferri debeat*. Epist. 8. Unde unanimis Patrum est doctrina quod regulariter loquendo opus sit temporis morâ ad perfectam peccatoris ad Deum per Charitatem conversionem, licet enim *Spiritus ubi vult spirat, & cujus vult miseretur*, ordinariè tamen non tantam ac tam uberem infundit simul homini gratiam, quâ quasi in instanti, se à creaturis avertat & ad Deum per Charitatem perfectam convertat, sed sensim & sensim ad hoc disponit gratuita Dei misericordia, instar divini cujusdam diei nobis exoritur Salvatoris gratia, ut supra vidimus, habet illa auroram suam, quâ mentium tenebras paulatim dissipat, perque incrementa varia & gradus assurgit, donec sensim diminutâ Charitate incipit dominari Charitas, & eousque perfici, ut ad perfectum justitiæ diem accrescat.

§. XVIII.

## §. XVIII.

### *Differentia inter Attritionem & Contritionem.*

OMissis variorum ſententiis circa Attritionis & Contritionis differentiam, breviter noſtram tantum declaramus quæ ex dictis ſufficienter colligi poteſt.

Suppono quod agamus hic de Attritione ſufficienti & ad minus requiſitâ cum Sacramento ad juſtificationem; quo ſuppoſito dicimus illud tantum eſſe diſcrimen inter Contritionem & Attritionem, quod Contritio procedat ex Charitate perfecta ſupra deſcripta, Attritio vero ex Charitate imperfecta, ſeu Amore Dei propter ſe imperfecto.

Seu, quod idem eſt, quod Contritio procedat ex timore filiali, Attritio verò ex timore initiali.

Pro cujus intelligentia notandum neceſſariò admitti debere *timorem initialem* ultra timorem *ſervilem & filialem*, quos duos aliqui tantum agnoſcunt ut facilius probent Attritionem ex timore ſervili gehennnæ ſufficere cum Sacramento, tum enim ſic argumentantur, non requiritur Attritio ex timore

timore filiali, ergo sufficit ex timore servili gehennæ prout in effectu procedit Abellii in tract. de Pænitentiâ, quorum omnia argumenta per se corruunt quando ostenditur inter servilem & filialem timorem, necessario agnoscendum esse timorem medium scilicet initialem, qui quasi participat aliquid de utroque extremo.

Timoris hujus initialis mentionem facit S. Bernardus vel quisquis est Author, libro de modo bene vivendi ad sororem ubi dividit timorem in mundanum, servilem, initialem & castum seu filialem: *Humanus timor est ut ait Cassiodorus, quando ti-* cap. 4. *memus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod peccamus. Hic mundanus timor malus est. .... Secundus timor est servilis, ut ait Beatus Augustinus, cum timore gehennæ homo recedit à peccato, & omnia bona quæ facit, non propter Deum, sed propter timorem inferni facit. Ille quasi servus timet, qui bonum quod facit, non timore amittendi bonum quod non amat, sed timore patiendi malum quod formidat, facit. Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in pœnas inferni. De hoc servili timore ait Paulus:* Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed Rom. 8. accepistis spiritum adoptionis filiorum, *id est spiritum filialem. Bonus est iste servilis timor,*

*&*

*& utilis, licet insufficiens & imperfectus* . . . . *à Hinc servili timori succedit tertius timor videlicet* INITIALIS, *quando homo incipit facere bonum propter dilectionem Dei, quod antea faciebat propter timorem inferni. De hoc initiali timore ait David Propheta in Psalmo*: initium sapientiæ timor domini. *Initialis timor est quandò homo incipit Amare Deum quem ante timebat, & sic excluditur à corde servilis timor. Hinc initiali timori succedit quartus timor, scilicet castus, per quem timemus ne sponsus, scilicet Christus, tardet, ne discedat à nobis; ne enim offendamus, ne in eum peccemus, & ne eum perdamus. Timor iste scilicet castus de Amore descendit. Timor iste de Amore nascitur. De hoc timore legitur in Psalmo*: Timor domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Huc usque Bernardus. De hoc timore etiam agit S. Salesius dicens: *Timor initialis vel addiscens procedit quidem ex vero Amore sed Amore adhuc tenero, debili & incipiente: timor autem filialis procedit ex Amore firmo, solido.* Illum denique agnoscit clarissimè Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. art. 2. dicens: *Si aliquis convertatur ad Deum & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ erit timor filialis, nam filiorum est timere offensam Patris. Si autem propter utrumque est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* Illum etiam assignat Magister Sententiarum lib. 3. dist. 34. §. D.

*Psal.* 110. *& Proverb.* 8.

*Psal.* 18. lib. 11. de Amore Dei cap. 16.

Qui

Qui ergo habet timorem filialem nudè respicit & deteſtatur peccatum in quantum eſt offenſa Dei: qui autem habet timorem ſervilem nudè deteſtatur peccatum quia per illud incurreret pænam gehennæ: qui verò habet timorem initialem deteſtatur peccatum partim quia eſt offenſa Dei, partim quia per illud incurrit pœnam.

Quando autem Angelicus Doctor dicit quod timor initialis reſpiciat malum culpæ & pænæ non id ſic accipiendum eſt quaſi uno actu timoris timeatur utrumque per modum unius objecti, quaſi medii compoſiti ex utroque, ſed quia in eodem ſuppoſito, quod jam concepit timorem Charitatis, remaneat adhuc plurimum timoris ſervilis quoad ſubſtantiam. Quando enim aliquis incipit ambulare viam mandatorum Dei in Charitate, inchoatur in ipſo quidam filialis timor, ſed imperfectus, qui dicitur initialis, adeoque habet idem objectum quod filialis, verum cum ille timor filialis, ſit debilis, tener & imperfectus adjungitur ei timor ſervilis quoad ſubſtantiam, qui aſſiſtat & juvet filialem recenter natum ut plenius & conſtantius malum culpæ repudiet, ſeque melius in pietatis operibus exerceat.

An

An autem Attritio & Contritio differant ſpecie nec ne, quæſtio eſt Theologo indigna; quantum eſt ex parte motivi principalis non differunt ſpecie, cum uterque pro principali motivo habeat malum culpæ ut eſt offenſa Dei; Attritio autem ultra illud motivum principale habet adhuc aliud ſecundarium motivum nempe malum pænæ; quod motivum non habet Contritio; an verò eatenus debeant dici differre ſpecie, quæſtio eſt de nomine; cui inherere non eſt utile.

## CONCLUSIO.

HÆc ſunt Benevole lector, quæ in hac opinionum varietate breviter in gratiam meorum Tyronum de hac quæſtione tractare volui, quam breviter potui exprimendo meam mentem. Si quis aliter ſapiat, videat ut cum majori apparentia opinionem ſuam ſtabiliat, quod ſummopere videre deſideramus, ſolummodo enim noſtram protuli ſententiam ad indagandum veritatem, quam ſi non ego conſecutus fui libenter inſtrui & doceri volo; non enim ex illorum numero ſum quibus nihil placet niſi proprii ingenii, licet abortivi, fætus: quia non majus

jus ſcio conſequendi veram ſapientiam impedimentum, quam ſua præjudicia & errores perfas & nefas velle tueri, licet ab aliis ſatis clarè detecti ſint etiam ipſorum judicio; quidquid ſit non eſt ſignum candidi animi, neque in illo Auguſtiniana humilitas reperitur, hic enim S. Pater toti mundo ſuos priores errores propalavit ſcribendo Retractationum libros. Cujus Sanctiſſimi Patris noſtri exemplum quam libentiſſime nos imitari volumus non tantum quando Sanctiſſimæ Matri Eccleſiæ, Chriſti in terris vicario, cujus judicio omnia mea ſubjicio, contrarium videbitur, ſed & quandocumque etiam à privatis ex S. Scriptura, Traditione, legitimis Conciliis aut SS. Patribus convincar; licet autem quandoque in contra à ratione naturali argumenta aliqua objiciantur, tam ingentia ut vix, quid regeram, habeam, non ideo cedo meæ opinioni in Verbo Dei ſcripto vel tradito, Conciliis vel Patribus fundato, horum enim Authoritas argumentis à ratione naturali petitis præponderare Theologo debet; & hoc libentiſſimè fateor quandoque me vix poſſe reſpondere rationibus naturalibus, nec mirum cum Theologia noſtra ſicuti & fides, à quà vel nihil vel parum differt, ſæpe ſuperet

 ratio-

rationem nostram & tantum ex Verbo Dei scripto vel tradito probari possit.

Sisto calamum & finio cum illo S. Augustini de Charitate elogio : *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine Charitate nullo modo fit bene.*

De grat. & lib. arb. c. 18.

*Ad Majorem Dei, Beatissimæ Mariæ Virginis, SS. Augustini & Norberti Gloriam.*

FINIS.



INDEX



# INDEX PARAGRAPHORUM.



Pro-

FINIS.




## ERRATA.

Fol. 7. lin. ultima *ed* lege *ſed*. fol. 14. lin. prima *ſenſum* lege *ſenſim*. fol. 32. lin. penultima *ſi* lege *hi*. fol. 49. lin. 26. adde §. 6. fol. 65. lin. 12. dele, *non*, ante verbum, habet. fol. 77. lin. 19. *perfectior* lege *perfectiorem*. fol. 96. lin. 21. *intentio* lege *intenſio*: item fol. 105. lin. 24. fol. 107. lin. 26. *charitate* lege *cupiditate*.